
HONI · SOI
AL · Y · PENSE

6.5.8



The Marquis of Stafford.

OA&K. vol.
16846. 48c
16219/c
S.
19.11.06
293

JOANNIS BURMANNI,

Med. Doct. & in Horto Medico Amſtelaedamenſi Botanices Profeſſoris,

RARIORUM AFRICANARUM PLANTARUM,

Ad vivum delineatarum, Iconibus ac deſcriptionibus illuſtratarum

DECAS PRIMA.




AMSTELAEDAMI,

Apud HENRICUM BOUSSIERE.

MDCCXXXVIII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY





JOANNES BURMANNUS Med: Doct:
Botan: Profeſſ: Amſtelæd: anno aetatis trigeſimo.

Non haec effigies BURMANNI sculpta: sed ipsum
Arte Promethea vivere in aere vides.
Talis Paeoniis meditatur pellere morbos
Viribus, aut laetas Chloridos auget opes.
His oculis proavi, genitorque hac fronte renident.
Nil non egregiae pignora gentis habet.
Gaudeat Amstelidum longos Hygiea perannos
Huic tabulae carum composuisse caput.

JAC. PHIL. D'ORVILLE.

J. M. Quinkhard Pinxit 1736. *J. Houbraken sculpsit Amst.*

CELEBERRIMO,

ET ERUDITISSIMO VIRO

PETRO BURMANNO,

J. U. D. HISTORIARUM, ELOQUENTIAE, GRAECAE LINGUAE, POETICES, HISTORIAEQUE FOEDERATI BELGII PROFESSORI ORDINARIO, AC BIBLIOTHECAE PUBLICAE PRAEFECTO, H. T. ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE AB ACTIS,

PATRUO OPTIMO,

PLURIMUM VENERANDO

Has Decadum primitias
in grati animi pignus
debito obſequii cultu
offert

JOANNES BURMANNUS.

ria ac tanta plantarum copia, quanta ex Africa, extremo orbis veluti angulo, proveniat, vaſtum certe ac nimis arduum foret opus, ſi omnes in genere plantas, vel ab aliis nondum deſcriptas aut depictas, in unum colligere atque exhibere adgrederer, ſed potius illis, quibus majori otio frui datur, perficiendum hunc relinquam laborem, absque controverſia utilem, ac peritis Herbariae Rei cultoribus neceſſarium, praeſertim cum graviores, quibus in dies diſtrahor, occupationes a tam operoſo ac difficili incepto deſiſtere, viriumque rationem habere, nec valetudinem periclitari me admoneant. Ne tamen interim publico invideamus, quae fructum & utilitatem huic ſtudio adferre queant, & ut voti reus promiſſis, quantum licet, ſtare fidemque datam ſolvere valeam, conſtitui per partes ſive Decades deſcribere, figurisque expreſſas exhibere, & in lucem emittere illas plantas, quas ab aliis vel nondum deſcriptas aut perperam delineatas eſſe obſervavi, ſimili fere modo eademque methodo, qua Celeberrimus quondam Deceſſor meus *Caſp. Commelinus* plantas rariores Africanas, aliasque exoticas cum publico communicavit, adeo ut hoc noſtrum, quod auſpicamur, opus praecedentium illorum veluti adpendix aut ſupplementi inſtar cenſeri poſſit. Huic autem curae intentum, ſi nutu ſuo proſequi me dignetur propitia ſupremi Numinis gratia, ac conatibus noſtris benignus Botanicorum faveat adplauſus, erit, quod mihi de labore, quem ipſi inpendere incepi, gratuler, & ad pertexendam, quam inchoavimus, telam, me ſtimulet, adeo ut praeſens hoc opus, cujus nunc Prodromum damus, abſoluto penſo in magnum ſatis excreſcere poterit volumen: Praeterquam enim quod penes me ſerventur tres Codices Ampliſſimi Conſulis *Witſenii*, qui

qui plurimas complectuntur plantas ab aliis praeteritas vel non expoſitas, ſupereſt inſuper nobis non exigua Collectio illarum, quae cura praeſtantiſſimi Botanophili *vander Stell*, qui diu ad Caput Bonae Spei, cui praefectus erat, moratus fuit, conquiſitae, ac chartis nitida pingentis manu expreſſae ſunt; illum autem rogatu & adhortatione Nobiliſſimi *Witſenii* id feciſſe arbitror, quia plurimas plantas easdem iterum atque iterum in diverſis iſtis Codicibus ſimili forma eodemque modo delineatas obſervaverim. Praeter has vero copias ingens quoque plantarum ibidem exſiccatarum numerus, tam ex *Herbario Witſeniano* depromtus, quam aliorum amicorum opera mihi comparatus, non parum incrementi huic inſtituto adlaturus eſt, quibus denique accedit, quod eximius Civitatis noſtrae Hortus plurimis exoticis Africanisque plantis affatim inſtructus, multum etiam inceptis noſtris prodeſſe, & laborem hunc adjuvare poterit, quumque magnam ſeminum copiam ad Bonae Spei Promontorium mea de cauſſa collectam quotannis itidem exſpectem, ſpes haud vana me fovet fore, ut, licet procul ab illis remoti degamus locis, oportunitate tamen horum adminiculorum ad majorem & pleniorem, quantum datur, Africanarum plantarum perventuri ſimus notitiam.

Vos interim, Lectores aequi, ac ſtudii hujus jucundi pariter atque utilis fautores benigni, Floraeque periti cultores, has Decadum primitias fauſto omine ac benevolo animo accipite, atque in uſus veſtros convertite; & ſi qui ſint, qui aliarum plantarum ex latis Africae plagis orisve maritimis petitarum, ac nondum antea obſervatarum, copias poſſideant, illarum me participem reddere, & ita majorem

huic

huic Operi dotem ac ſplendorem conciliare dignentur, precor, meque officioſae eorum humanitati meritas, ut par eſt, publice ac privatim relaturum gratias ſpondeo. Valete.

PLAN-



ARCTOPUS foliis ſuperne ſpinis ſtelliformibus echinatis, laciniatis, & in cilia diductis; floribus umbellatis.

PLANTARUM AFRICANARUM

DECAS PRIMA.

ARCTOPUS foliis ſuperne ſpinis ſtelliformibus echinatis, laciniatis, & in cilia diductis; floribus umbellatis.

Tab. I.

IN apricis arenoſisque Africae locis plurimum haec Planta invenitur radice repente, craſſa, nodoſa, longiſſima, nigricante, fibras laterales majores, quae in minores iterum dividuntur, emittente; ex qua caulis erigitur ſimplex, craſſus, ſcaber, qui in ejus ſummo explanatur in vaginas latas, planas, glabras, ſtrigoſas, unde folia erumpunt, quaeque ipſis pro pedunculis inſerviunt; Folia haec in orbem quaſi diſponuntur octo pluráve, lata, plana, craſſa, venoſa, laciniata, quae ad lacinias in ſuprema eorum parte ſpinas gerunt flavas, acutiſſimas in ſtellae modum lateraliter undique ſeſe diſpergentes; Folia autem ipſa in tenuiſſimas ſpinulas, cilia referentes deſinunt, & extenduntur. Flores ex centro caulis ſupremi longiſſimis pediculis primo communibus, dein propriis brevioribus inſidentes umbellatim proveniunt varii & plane differentes, longe ali-

ter in una conſtituti planta, quam in alia: *Flores* enim *Maſculini* in diſtincta planta, *Feminini* in altera obſervantur.

Illorum umbella univerſalis eſt vaga.

Particularis vero involucro pentaphyllo excepta eſt.

CALIX. *Perianthium* ſingulum, quinque partitum, minimum. A.

COROLLA pentapetala, petalis oblongis. B.

STAMINA. *Filamenta* quinque ſetacea, corolla longiora: *Antherae* ſimplices.

PISTILLUM: Germen nullum. *Styli* duo ſetacei, ſtaminibus longiores; *Stigmata* ſimplicia.

PERIANTHIUM abortit.

Flores vero *Hermaphroditi*, ſeu *Feminini* in alia planta fertiles.

Quorum umbella univerſalis nulla.

Particularis vero involucro quadrifido (*a*) excepta;

Quod involucrum eſt maximum, multiflorum, monophyllum, quadripartitum *bbbb* patens, margine *b* undique ſpinoſum, perſiſtens, continens *Flores Maſculinos* in diſco abortientes; *Femininos* fertiles in radio quatuor, intra ſingulam calicis laciniam ſingulos.

Quorum PISTILLUM eſt *Germen* ſubulatum, hiſpidum ſub receptaculo floſculi. Horum *Styli* duo breves, reflexi, perſiſtentes. *Stigmata* ſimplicia.

PERIANTHIUM nullum. *Calicis* vero ſpinae conniventes, calixque coarctatus. *ccc*

SEMINA *Femininis* ſolitaria, cordata, acuminata *dd* extrorſum flexa, magnitudine laciniae calicis, ſupina parte hiſpida *ee*, bilocularia.

Hocce charactere a CAROL. LINNAEO in *Gener. ſuis Plant.* N° 994. Flores hi Feminini definiuntur; qui primus ex ſingulari

gulari hac Planta certum conſtituit genus, ipſique nomen indidit *Arctopus* ab ἄρκτος Urſus, quod certum inter ſydera ſignum, πῦς autem pes eſt, quum folia craſſa, lata, anguloſa, fimbriata ſimul, & pedem Urſi quodammodo referant.

Miror, quod haec Planta nondum ab aliquo deſcripta fuerit, quum in Promontorio Bonae Spei plurimum inveniatur, & in arenoſis planisque locis ubique fere obvia ſit, unde & exſiccatam eam nuper accepi, juxta quam cum Figura Codicis Witseniani comparatam primus hic ejus integram & genuinam exhibuis Figuram.

A ſolo Pluknetio, primario exoticarum auctore, eam bis denominatam inveni, ſed perperam admodum in ejus *Phytogr. Tab.* 271. *Fig.* 5. folia puſilla ac rudi penicillo depicta ſunt, unde perfectam ejus deſcriptionem, veramque ſimul Figuram hic proponere, haud ingratum fore Botanophilis perſuaſum mihi habui. Vocatur autem a Pluknet. in *Almag. Botan.* Auricula Urſi, aut potius Cortuſae Matthioli facie, Planta Æthiopica, foliis ad lacinias ſuperna parte ſpinis ſtellae in modum diductis echinata, & ad oras pilis longioribus fimbriata. atque in ejus *Mantiſſ. pag.* 85. Valerianoides Cortuſae Matthioli facie, Planta Aethiopica, foliorum ad lacinias ſuprema parte ſpinis ſtellarum in modum echinata, & ad oras pilis longioribus fimbriata; ubi & eam pro Valerianae genuina ſpecie habet, atque quod Valeriana ſpinoſa dici mereatur, perhibet.

In Codice Witseniano vocatur Auricula Africana, foliis ſpinoſis, floribus albis. ubi & adnotatur, quod menſe Septembri loco natali floreat.

FABAGO humilis, quadrifolia, glabra, flore albido, fructu rotundo.

Tab. II. Fig. 1.

EX fibris plurimis longiſſimis, ſimplicibus, fuſcis, coadunatis oritur radix tuberoſa, tres pollices longa, unum craſſa, nigricans; quae plurimos ſimul emittit ramos fuſcos, ubi folia decidere geniculatos, qui altero anno prolongantur in ramos glabros, virides, rotundos, folioſos, qui plurimis ſcilicet veſtiti ſunt foliis viridibus, oblongis, acutis, glabris, quatuor ſimul junctis, ſeſſilibus; Ex quorum alis, ac maxime quidem in ramorum ſummo longiſſimi eriguntur petioli, glabri, virides, rotundi, qui flores ferunt pallide flavos, ſeu albentes, in fundo rubentes, ſtaminoſos, pentapetalos, ut in aliis hujus ſpeciebus; Poſt hos ſequuntur fructus rotundi, glabri, ſulcati, in quinque partes *a* diviſi, Pericarpio quinquefido *b* contenti, ſingulo loculo ſepto ſingulari integro *c* diſtincto, in quibus locantur ſemina plana, oblonga *d*, glabra, purpurei coloris. Ab *Hermann. in Catal. Pl. African.* poſt Theſaurum meum Zeylanicum inpreſſo vocatur Capparis Africana, humilis, triphyllos, & tetraphyllos. & in *Muſ. Petiver.* N° 366. Capparis Fabago minor, e Capite bonae Spei, flore albo: In *Cod.* autem *Witſ.* Solanum Africanum, quadrifolium, flore luteo; ubi & additur, quod in apricis Africae locis creſcat, florens menſe Auguſto.

FA-



FABAGO *humilis, quadrifolia, glabra, flore albido; fructu rotundo.*

FABAGO *tenuifolia, ſpinosa, fructu rotundo.*

FABAGO *tenuifolia, ſpinoſa, fructu rotundo.*

Tab. II. Fig. 2.

EX radice fibroſa, longiſſima, prorepente, ſimplici, cinerea provenit hic frutex caudice recto, glabro, rotundo, fuſco, qui in diverſos dividitur ramos variae magnitudinis ſpinoſos, quorum Spinae fuſcae oblique poſitae; alternae in majoribus inprimis ramis proveniunt. Foliola autem ex duobus paribus componuntur, bina ſibi invicem oppoſita, ſeſſilia tenuia, linearia, acuta, viridia, glabra. Flores ad ramulorum extremum utcunque eriguntur ſolitarii, pentapetali, flavi, calice pentaphyllo, qui perſiſtens eſt, & in pericarpium excreſcit, contenti, fructum producentes rotundum, glabrum, compreſſum, in acutiſſimum ſtylum deſinentem, quinque locularem, quinquefariam dehiſcentem, ut in aliis hujus ſpeciebus. a *Caſp. Commel.* in *Catal. MSto* ad *Cod. Witſ.* vocatur Fabago Africana, arboreſcens, ſpinoſa, flore ſulphureo, fructu rotundo. & in *Cod. Witſ.* Solanum Africanum. perenne, ſpinoſum, flore luteo: ubi additur, quod in apricis arenoſisque Africae locis inveniatur, flores producens Auguſto.

FABAGO flore luteo, petalorum unguibus rubris, fructu ſulcato, oblongo, acuto.

Tab. III. Fig. 1.

IN arenoſis itidem Africae locis provenit hic frutex caudice viridi, glabro, varios emittens ramos alternos itidem glabros & virides, qui folia gerunt ſeſſilia, quatuor ſimul juncta, duo paria, oblongo-acuta, craſſa, venoſa, viridia, ſucculenta, ad quorum ortum ſquamulae nunc geminae, nunc bigeminae inſtar ſpinarum adparent: Ex foliorum vero alis flores eriguntur utcunque ſolitarii, pentapetali, petalis integris, qui lutei ſunt coloris, ſingulo petalo in fundo ſeu ad unguem macula lata ſanguinea notato; Poſt flores ſequuntur fructus glaberrimi, dependentes, ſulcati, inmaturi virides, maturi autem luteſcentes, oblongi, acutiſſimi, in quinque loculamenta diviſi, ut in caeteris hujus generis ſpeciebus. Ab *Hermann.* in *Catal. Plant. African. pag.* 5. vocatur Capparidis leguminoſae folio frutex Africanus, foliis glaucis, fructu bicunciali, in acumen deſinente, flore albeſcente, intus carneo. In *Cod. Witſ.* Solanum Africanum flore luteo. hujus altera ſpecies fructu rotundo eleganter exhibetur in *Dillen. H. Eltham. pag.* 192. *Tab.* 116. *Fig.* 192. vocaturque ibi Fabago Capenſis, fruteſcens, minor, quae a *Commel. in Rar. Pl. Fig.* 10. *pag.* 10. vocatur Fabago Africana arboreſcens, flore ſulphureo, fructu rotundo; ut & ab *Hart. in Catal. Alt. Plant. Afric. pag.* 28. quae a noſtra differt florum petalis crenatis ſeu fiſſis, ac fructu etiam rotundo.

FA-



FABAGO triphylla & tetraphylla, flore quadripetalo, fructu membranaceo, quadrangulari.

FABAGO flore luteo, petalorum unguibus rubris, fructu ſulcato, oblongo acuto.

FABAGO triphylla & tetraphylla, flore quadripetalo, fructu membranaceo, quadrangulari.

Tab. III. Fig. 2.

FRutex hic ad Caput Bonae Spei circa mare creſcit locis arenoſis dunis vocatis ad quatuor pedum altitudinem, qui trunco glabro, cinereo erigitur, varios emittens ramos, qui in alios minores, alternos, ſpithamales fere, iterum dividuntur, & non longe a principio folia ſua gerunt glabra, viridia, craſſa, venoſa, ſucculenta, oblonga, ſeſſilia, tenuiori principio orta, ſenſim latiora & obtuſe fere deſinentia, horum quatuor ſimul utcunque ex uno centro, aliquando tria tantum ſimul, luſu forte naturae, proveniunt, ac ſub eorum ortu ſquamulae duae ſpinas referentes, reflexae propullulant. Flores ex foliorum alis proveniunt nunc ſolitarii, ſaepius gemini, in hac ſpecie tantum tetrapetali, quum in aliis hujus generis ſpeciebus quinque ſemper obſerventur petala. Fructus ſingularis etiam eſt ſtructurae, inſtar veſicae enim inflatus eſt, & videtur in depicta Figura Codicis WITSENIANI quadragonus, & forte & quadrilocularis, unde ab accuratiſſimis Syſtematicis Criticis ad aliud genus reduceretur; Quum vero forma florum, folia, modus creſcendi, & totus habitus plantae cum omnibus Fabaginis ſpeciebus adeo proxime conveniat, vim naturae inferre videremur, ſi a Fabagine hanc ſepararemus, licet in quibusdam partibus a caeteris in hac planta natura variet. Vocatur etiam ab *Hermann.* in *Catal. Plant. Afric. pag.* 5. Capparidis leguminoſae folio frutex Africanus, flore luteo, fructu membranaceo. A *Caſp. Commel. in Catal. MSto ad Cod. Witſ.* Alkekengi Africanum fruteſcens, flore luteo; ob fructum nem-

pe

pe membranaceum. In *Cod. Witſ.* Solanum Africanum fruteſcens flore luteo; ubi & adnotatur quod loco natali menſe Septembri flores producat. Si certus eſſem, & ex viva planta mihi conſtaret, fructum ejus eſſe quadrilocularem, reducerem eam ad Tetragonocarpum *Commelini* in *Hort. Amſt. part.* 2. deſcriptam, ad quam proxime pertineret. A *Dillen* in *Hort. Eltham. pag.* 142. *Tab.* 116. *Fig.* 141. exhibetur Planta huic maxime adfinis, quae vocatur Fabago Capenſis fruteſcens major; cujus fructus licet magis ſit compreſſus, tamen quadrangularis itidem adparet. Atque haec forte eſt Fabago Afra; fruteſcens, minor, flore flavo magno, unguibus petalorum fuſcis. *Boerh. Ind. H. L. Bat. Part. I. pag.* 319.




TITHYMALUS tuberoſus acaulos; foliis oblongis, cucullatis & planis.

TITHYMALUS tuberoſus, acaulos, foliis oblongis, cucullatis & planis.

Tab. IV.

RAdix hujus Tithymali duplo fere major eſt quam ipſa planta, eſt enim craſſa, nodoſa, oblonga, ſpithamalis, griſea, in majores etiam nodos diviſa, quae varias fibrillas emittit laterales, quibus ſe propagat, unde haec humilis erigitur planta, quae nullum obſervatur habere caulem, ſed ex radice ipſâ folia ac flores producit longiſſimis inſidentes petiolis, duos pollices & ultra longis, glabris, rotundis, viridibus; quae folia ſuſtinent oblonga, glabra, viridia, craſſa, nunc plana, nunc vero contracta & cucullata, interdum etiam crenata, & in ſummo bifida, ſunt autem tres pollices circiter longa, unum vero lata, pendula & ſaepe etiam reflexa. Florum pedunculi ex eadem cum foliorum ſede, maxime autem ex radicis ſummae centro proveniunt, & paulo altius ac folia eriguntur flores in ſummo ſuſtinentes pauciores, ſingulo flore ſuo inſidente pedunculo ad cujus divaricationem duo foliola oppoſita oblongo-acuta locantur, qui & ſimilia duo foliola oppoſita loco calicis habent ſuppoſita, quae cum vaſculo ſeminali etiam perſiſtunt. Flores vero ipſi ſunt lutei, tetrapetaloides, ſegmentis fere lunatis conſtantes, vaſculum producentes ſeminale trigonum, triloculare, tricoccum, quod ſemina continet oblongo-acuta, compreſſa, griſea. Ab *Herman. in Catal. Plant. Afric. pag.* 23. vocatur Tithymalus Africanus, humilis, radice tuberoſa, foliis oblongis, in ſummo cordatis, pediculis inſidentibus biuncialibus. A *Caſp. Commel. in Catal. MSto*

ad *Cod. Witſ.* Tithymalus Africanus acaulos, tuberoſa radice; flore viridi. & in *Cod. Witſ.* Tithymalus Africanus, tuberoſus, flore viridi; ubi additur, quod creſcat locis apricis & ſabuloſis, florens Septembri. In *Ray Tom.* 3. *Hiſt. Plant. p.* 933. vocatur Tithymalus Africanus, humilis, foliis latioribus, oblongis, tuberoſa radice *D. Herman.* Ubi ſequenti modo deſcribitur. „ Folia e radice tuberoſa exeunt, in pediculis duas „ treſve uncias longis, ſeſquiunciam propemodum longa, ſemiuncia latiora, & per totam fere longitudinem latitudine „ aequalia, extremo obtuſa, & interdum crenata ſeu bifida. „ Caules e radice egrediuntur vix ſemipalmares, foliis nudi ad „ ſummum uſque, ubi in duos divaricantur pediculos, flores „ totidem herbaceos ſuſtinentes, quibus ſuccedunt vaſcula ſeminalia, triquetra, majuſcula, & hirſuta: ad caulis divaricationem duo apponuntur foliola.





TITHYMALUS tuberosus, aphyllus, geniculatus, ramosiſsimus.

TITHYMALUS tuberoſus, aphyllus, geniculatus, ramoſiſſimus.

Tab. V.

E radice craſſa, longa, ſpithamali, nodoſa, fibrilloſa, fuſca oritur haec planta, tribus quatuorve ramis ſimul e terra proveniens, qui in plurimos minores iterum dividuntur ramos, omnes per articulationem ſibi mutuo junctos, & non niſi ex variis articulis ſibi mutuo innatis conſtantes, qui ſunt virides, glaberrimi, triangulares, ex tenuiori baſi in latum & planum apicem deſinentes, ſingulo articulo in majoribus ramis pollicari, in minoribus ſemipollicari, & minus longo, qui articuli an ſint molles. aizoides. & frictione in tenuiſſimum mucum toti deliqueſcentes ex depicta figura, quum nulla deſcriptio adſit, non ſatis mihi conſtat. In ſingulo autem ramulorum faſtigio unicum producunt florem pentapetalum coloris lutei, qui fructum dat oblongum, triangulare, tricoccum, ut in aliis hujus ſpeciebus. A *Commel.* in *Catal. MSto* ad *Cod.Witſ.* vocatur Tithymalus Africanus, aizoides, geniculatus. & in *Cod. Witſ.* Tithymalus Africanus, fruteſcens, minor: ubi additur, quod montibus arenoſis, ſeu dunis creſcat ad altitudinem ſeſquipedalem florens Septembri. huc pertinet Tithymalus Indicus, vimineus, penitus aphyllos. *Boerh. Ind. H. L. Bat. Part. I. pag.* 257. & Tithymalus ramoſiſſimus, fruteſcens, paene aphyllos. *Par. Bat. Prodr.* 381. qui eſt *Tiru Calli H. Malab. Part.* 2. *Tab.* 40. De quo vide *Dillen. H. Eltham. pag.* 386. & *Theſaur. noſtrum Zeylan. pag.* 223.

EUPHORBIUM acaulon, erectum, tuberoſum, linearibus foliis, flore ac fructu foliaceis.

Tab. VI. Fig. 1.

MIra haec planta caudice adſurgit craſſo, oblongo, tuberoſo, tuberculis planis, latis, anguloſis, e quorum medio & ſummo apice exeunt folia ſimplicia, glabra, viridia tres uncias longa, duas circiter lineas lata, linearia, acuta, ſeſſilia: Flores ſimili modo proveniunt, ſed longiſſimis inſidentes petiolis, qui foliorum longitudinem fere adaequant; hi in ſummo gerunt florem ſolitarium herbaceum, pentapetaloidem magna foliacea corona, loco calicis, contentum, quae cum fructu excreſcit ac perdurat. Fructus autem eſt oblongus, anguloſus, glaber, trilocularis, ut in reliquis hujus ſpeciebus.

Apud nullum auctorem ullam hujus ſingularis plantae, quae anomala videtur, mentionem potui invenire, ita ut hanc plane novam ex Codice *Simon. van der Stell* gubernatoris quondam ad Caput Bonae Spei accuratiſſime delineatam inſculpi curaverim.

EV-

EUPHORBIUM *acaulon, erectum, tuberoſum, linearibus foliis, flore ac fructu foliaceis.*

Fig. 1.



Fig. 2.

Fig. 3.

EUPHORBIUM *caule rotundo, foliolis hamatis, flore quadrifido, flavo.*

EUPHORBIUM *erectum, caule ſimplici, rotundo, foliis triangularibus, acutis, oppoſitis.*

EUPHORBIUM erectum, caule ſimplici, rotundo, foliis triangularibus, acutis, oppoſitis.

Tab. VI. Fig. 2.

E radice fibroſa, tenui erigitur haec planta caule ſimplici, erecto, glabro, rotundo, viridi, e quo folia alternatim exeunt oblongo-acuta, triangularia, glabra, viridia, bina oppoſita, ſucculenta, Ficoidis forma & ſtructura: Flores ex centro caulis ſupremi producuntur ſolitarii, longo & tenui petiolo inſidentes, pentapetaloides, proliferi, lutei, qui vaſculum ſeminale relinquunt oblongo rotundum, glabrum, viride, triloculare, tricoccum, intus continens ſemina tria, glabra, oblonga, cinerea. in *Cod. Witſ.* Anteuphorbium haec planta vocatur: quae inſculpta ſolummodo invenitur in rariſſimo illo exoticarum opere *Petiver. Gazophyl. nat. & art. Tab.* 90. *Fig.* 3. ubi Euphorbium Ficoidis folio dicitur.

EUPHORBIUM caule rotundo, foliolis hamatis, flore quadrifido, flavo.

Tab. VI. Fig. 3.

DIffert haec planta a priori, quod in plurimos dividatur ramulos, itidem glabros, virides, ac ſucculentos, qui folia gerunt utcumque bina oppoſita, inſtar hamorum reflexa, viridia, ſucculenta; Flores in ramulorum ſummo proveniunt ſolitarii, magni, flavi, in hac ſpecie quadrifidi, qui vaſculum dant ſubrotundum, glabrum, quod ſi maturum fuſcum, dehiſcens, in tria loculamenta ſe dividens, quorum ſingulum continet ſemen ſubrotundum, glabrum, griſeum: Eſula ſucco viroſo haec in *Cod. Witſ.* altero vocatur; qui codex octuoginta circiter continet plantas elegantiſſime depictas naturalibus & vivis coloribus plantarumque partibus ſeparatis, ſed quae a *Pluknetio* & *Petiverio* omnes jam fere ſunt delineatae, ita ut hi auctores & ſimilem codicem forte ab eodem pictore elaboratum acceperint; Figurae enim plantarum ſimili modo eademque forma delineatae in tribus his auctoribus occurrunt. hanc autem *Petiv.* tantum habet in *Gazophyl. Tab.* 86. *Fig.* 6. ubi vocatur Euphorbium luteum, ſquamis hamatis. Has duas rariſſimas plantas hic exponere volui, & vacuo Tabulae loco inſculpi, quum nondum deſcriptae occurrerent, & *Gazophyl. Petiverianum* in pauciſſimorum tantum manibus verſetur.

EU-



EUPHORBIUM *erectum, quadrangulare, ſpinoſum, ramis lateralibus rotundis, folioſis.*

EUPHORBIUM *erectum, aphyllum, ramis rotundis, tuberculis quadragonis.*

EUPHORBIUM erectum, quadrangulare, ſpinoſum, ramis lateralibus rotundis, folioſis.

Tab. VII. Fig. 1.

IN apricis arenoſisque Africae locis provenit haec planta; Ex octo plerumque fibris duos pollices longis, lineam circiter latis, ſimplicibus, griſeis, rectis ſeſe adtollens caule quadrangulari, ſpinoſo, viridi, glabro, ſpinis ad angulos tantum erumpentibus, parvis, acutis, ex latiori baſi ortum ducentibus, obliquis, albicantibus. Totus hic caulis aphyllus penitus eſt, ſed laterales rami forma rotunda proveniunt foliolis plurimis oblongo-acutis toti conſtantes, ſibi invicem inbricatim tanquam quamis inpoſitis juncti, qui in adultiore aetate videntur toti coalire & unicum tantum glabrum caulem efficere, ut in caule florifero erecto adparet, ubi nullae tales ſquamae ſeu foliola niſi in ſummo vertice tantum conſpiciuntur, ibi & flores ad angulos modo proveniunt pentapetali ex rubro albentes interna ſcilicet parte albicante, externa ex purpuro rubente.

A *Caſp. Commel.* in *Catal. MSto* ad *Cod. Witſ.* vocatur Tithymalus Africanus, aizoides, erecta, angularis, flore albicante. & in *Cod. Witſ.* Apocynum erectum, Africanum, flore minori.


EU-

EUPHORBIUM ereƈtum, aphyllum, ramis rotundis, tuberculis quadragonis.

Tab. VII. Fig. 2.

E radice fibroſa, in plurimas fibrillas diviſa, nigricante oritur haec planta, quae per laterales ramos, procumbentes, & in terram radices agentes ſeſe diffundit, & propagat, unde in apricis ſabuloſisque Africae locis, ubi magna quantitate reperitur ſibi invicem juncta & intricata colligitur; Rami autem fructificationi inſervientes in altum eriguntur ſemiſpithamales, digitum craſſi, glabri, virides, tuberculis planis, quadragonis conſtantes, aphylli penitus, in ſummo faſciculum floriferum ex variis floſculis compoſitum gerentes; floſculi autem ex albo rubeſcunt & vaſculum ſeminale viride, glabrum, triloculare, ut in caeteris ejus ſpeciebus, relinquunt, quod tria ſemina oblonga, triangularia, griſea continet. A *Commel.* in *Catal. MSto* ad *Cod. Witſ.* vocatur Tithymalus Africanus aizoides, multiplici ſquamato caule non folioſo minor. & in *Cod. Witſ.* Tithymalus Africanus, minor, erectus: ubi adnotatur, quod menſe Septembri flores producat. Huc pertinet Euphorbium anacanthum, ſquamoſum, lobis florum tridentatis. *Act. Reg. Pariſ. Ann.* 1720. *p.* 502. quod ramoſum admodum eſt, & idem habetur, ac Euphorbium Afrum, caule ſquamoſo, tuberoſo, minus. *Boerh. Ind. H. L. B. part. I. p.* 258.

EU-





EUPHORBIUM procumbens, ramis plurimis simplicibus squamosis, foliolis deciduis.

EUPHORBIUM procumbens, ramis plurimis ſimplicibus ſquamoſis, foliolis deciduis. *Tab. VIII.*

E radice ſeſquipollicem craſſa, ſpithamalis longitudinis, cinerea, glabra, in varias majores fibras diviſa, oritur haec planta, caudice pugnum circiter in diametro habente, tuberculoſo, glabro, fuſco, e quo plurimi ſimul, & undique numeroſi proveniunt rami procumbentes, tenuiori principio, ſenſim dilatati, in ſummo craſſiſſimi, ſquammoſi, glabri, qui ex ſingula ſquamma, ſeu tuberculo, in ſuo principio foliolum tenuiſſimum, glabrum, acutum, emittunt, quod facillime & cito decidit, unde apetali fere hi rami videntur, & non niſi in eorum ſummo cacumine illud retinent, ubi & eorum floſculi *a* tantum proveniunt, albicantes, pentapetali, ſingulo petalo in tres lacinias diviſo, plurimis ſtaminibus rubentibus hi flores cum ſtylo bifido *b* gaudent, qui elegantis ſunt adſpectus, & ut in reliquis hujus generis ſpeciebus vaſculum ſeminale dant ſubrotundum *c*, triloculare *d*, glabrum, fuſcum, quod in ſingulo loculo continet ſemen unicum, oblongum, glabrum, cinereum. *e*

Rami hujus plantae miro modo proveniunt, & ex caudice craſſo undique protuberantes & tanquam in circulum diſpoſiti, figuram Capitis Meduſae repraeſentant, unde haec eadem planta, quae vario creſcendi modo mire variat, a *Boerhaavio* in *Indice Hort. Lugd. Bat. Part. I. pag.* 258. vocatur Euphorbium Afrum, caule craſſo, ſquamoſo, ramis in capitis Meduſae ſpeciem cincto. & a *Caſp. Commel. in Catal. MSto.* Tithymalus Africanus, aizoides, multiplici ſquamato caule non folioſo major. & in *Cod. Witſ.* Tithymalus Africanus, craſſus. ubi notatur, quod plurimum creſcat circa loca maritima & arenoſa Promontorii Bonae Spei, ubi menſe Octobri flores prodit, & ſauciata lac fundit copioſiſſimum, ex quo viſcum optime confici poteſt.

EUPHORBIUM procumbens, ramis geminatis, caule glabro, oblongo, cinereo.

Tab. IX. Fig. 1.

IN altiſſimis montibus Promontorii bonae Spei, & maxime locis ſaxoſis provenit haec planta, quae e radice fibroſa, longa, ſpithamali circiter, glabra & fuſca oritur caudice craſſo, oblongo, rotundo, glabro, cinereo, in ſummo tres pollices lato, ubi rami plurimi ſimul tanquam ex uno centro proveniunt procumbentes, ſinguli in duo brachia diviſi, ſeu articulati, qui tenuiore principio orti ſenſim dilatati, & in ſummo craſſiſſimi evadunt, ubi nova iterum brachia ſeu minores ramulos majoribus ſimiles emittunt, rami hi ſunt virides, glaberrimi, tuberculis toti protuberantes, unde foliola in ſuo ortu propullularunt, quae citiſſime & facillime decidunt & puncta albicantia tanquam veſtigia poſt eorum lapſum relinquunt; horum autem pauciora in ſummo tantum faſtigio excreſcunt, quae ſunt tenuiſſima, glaberrima, viridia, linearia, obtuſa; flores ut in aliis hujus ſpeciebus in ſummo proveniunt pauciores quatuor, quinque raro plures, pentapetali ex albo virideſcentes, qui producunt vaſcula ſeminalia trigona, trilocularia, fuſca *a*, in quibus ſemina tricocca, glabra, oblongo-acuta, cinerea *b* collocantur.

A *Caſp. Commel.* in *Catal. MSto* ad *Cod. Witſ.* vocatur Tithymalus Africanus aizoides, multiplici ſquammato caule folioſo, major. & in *Cod. Witſ.* Tithymalus Africanus, montanus, flore ex viridi. ubi & notatur quod menſe Octobri floreat.

EU-

EUPHORBIUM *procumbens, ramis geminatis, caule glabro, oblongo, cinereo.*



EUPHORBIUM *aphyllum, rotundum, squamis craſsis, imbricatis, florum coma multiplici.*

EUPHORBIUM *aphyllum, angulosum, florum coma denſissima.*

EUPHORBIUM aphyllum, rotundum, ſquamis craſſis, imbricatis, florum coma multiplici.

Tab. IX. Fig. 2.

PUſilla haec planta caudice provenit craſſo, rotundo, brevi, qui totus compoſitus eſt ex ſquamis denſiſſimis, glabris, diſcoideis, viridibus, glabris, hae autem arctiſſime ſibi invicem junctae & inbricatim inpoſitae ſunt, nulla emittentes foliola, & quantum ex depicta colligere poſſum, ſucculentae itidem penitus ſunt: Flores ſingulari modo proveniunt in ſumma ſuperficie certo ac regulari ordine ſtellarum inſtar locati, parvi, pentapetali, albentes: De fructu mihi non conſtat, unde pro certo aſſerere non auderem, an genuina ſit Euphorbii ſpecies, quum autem quam maxime cum hocce genere conveniat, & alias ignota penitus ſit planta, huic generi jungere convenientiſſimum videbatur. Atque hanc cum ſequenti ex elegantiſſima collectione Praefecti *van der Stell* publicae hic exponimus luci.

EUPHORBIUM aphyllum, anguloſum, florum coma denſiſſima.

Tab. IX. Fig. 3.

SImili modo, quo proxime antecedens, erigitur haec planta caudice recto, anguloſo, glabro, glauco, ſtriato, ſtriis oblique ad angulos, ubi ſe mutuo tangunt, inclinantibus, ac ſibi oppoſitis, certo ac regulari ordine diviſis. Foliis omnino & haec deſtituitur planta, ac flores eosdem eademque norma ac praecedens, cum qua haec convenit planta, producit.

EUPHORBIUM humile, procumbens, ramis ſimplicibus copioſis, caule craſſiſſimo, tuberoſo.

Tab. X. Fig. 1.

E fibrillis tenuiſſimis ſenſim adunatis oritur radix craſſa, pollicaris, brevis, tres circiter pollices longa, fuſca, e cujus ſummo provenit caudex craſſus pugni fere magnitudinis, tuberculoſus, glaber, fuſcus, fructus arboris Pini externa facie referens, e quo plurimi ſimul & innumeri fere propullulant rami minores, breviores, tenuioresque ac in aliis hujus ſpeciebus, & jure merito minor ſpecies illius, quae Caput Meduſae refert, habenda eſt; variant tamen & differunt multum hae plantae a ſe invicem, ut ex collatis Figuris facile patet. Hujus autem rami ſunt plurimi, procumbentes, tres circiter pollices longi, digitum craſſi, glaberrimi, virides, tuberculis undique obſeſſi, quae in eorum ſummo punctum habent nigricans, quod indicium & veſtigium eſt, unde foliolum in juniore aetate excreverit, quod quam citiſſime, ut in aliis hujus etiam ſpeciebus, decidit, & quae foliola non niſi in ramorum faſtigio remanent, ubi de novo etiam excreſcunt, ſunt autem tenuiſſima, glaberrima, viridia, linearia, acuta. Flores, qui in ramorum ſummo itidem proveniunt, ſunt pentapetali *a* ex albo virentes; producentes vaſculum ſeminale, triſulcum, *b* triloculare, ſubcoeruleum, glabrum, e cujus ſummo tuba longa excreſcit in tres apices diviſa. Semina intus contenta ſunt oblonga, minima, fuſca, glaberrima, tricocca. *c*

A variis jam Botanicis fuit haec planta denominata, ſed a nullis hactenus perfecte depicta, & cum flore ac fructu

tota



EUPHORBIUM humile, procumbens, ramis ſimplicibus copioſis, caule craſsiſsimo, tuberoſo.

LYCOPERDASTRUM ſoboliferum, altius radicatum, glabrum, oblongum, viride.

tota exhibita aut deſcripta. In *Hort. Amſtelod. Part. I. p.* 33. ejus icon ſine flore ac fructu exhibetur; ſed rami nimis erecti depicti ſunt, vocaturque ibi a *Joh. Commelino* ſimpliciter tantum Planta lactaria Africana. Incertum, quum fructus nondum produxerat, ad quodnam pertineret haec planta genus, unde & a *Breyn. Prodr. I. pag.* 99. vocatur Planta Lactaria Africana, Pini fructuum facie. & ab eodem auctore in *Prodr.* 2. *pag.* 100. Tithymali forte genus, planta Lactaria Pini fructuum facie; a caudicis figura, ut ſupra innuimus. Cujus & deſcriptio in *Ray. Hiſt. Pl. Part. III. p.* 433. invenitur. A *Caſp. Commel. in Catal. MSto ad Cod. Witſ.* vocatur Tithymalus Africanus, aizoides, multiplici ſquamato caule folioſo minor. in *Cod.* autem *Witſ.* Tithymalus Africanus, minor. ubi & notatur, quod locis creſcat ſaxoſis; Septembri florens ad Caput Bonae Spei. Omnium autem optime a *Clariſſ. Boerhaavio* in *Ind. H. Lugd. Bat. Part. I. pag.* 258. vocatur Euphorbium Afrum, facie fructus Pini. & a *Linnaeo in Hort. Cliffort. pag.* 197. Euphorbia inermis, tecta tuberculis imbricatis, foliolo lineari inſtructis. ubi & alias hujus vide varietates ac ſpecies; atque haec ab *Iſnard. in Act. Reg. Pariſ. ann.* 1720. *p.* 502. dicitur Euphorbium anacanthum, anguſto Polygoni folio. Qui eſt Tithymalus aizoides, Africanus Pini fructuum facie. *Commel. Praelud. Botan. pag.* 23.

LYCOPERDASTRUM ſoboliferum, altius radicatum, glabrum, oblongum, viride.

Tab. X. Fig. 2.

EX plurimis fibrillis tenuibus, cinereis, in ſummo collectis, & coadunatis oritur pedunculus craſſus, glaber, rotundus, cinereus, qui plurima ſuſtinet tubera glabra, oblongo-rotunda, viridia, in ſummo uno puncto notata, quae uniformia ſibi invicem juncta, tanquam una ſoboles ſimul proveniunt, & intus repleta ſunt mucore quodam mucilaginoſo, acido, auſtero, qui, ut notat *Codex Witſenianus*, ubi Ficoides vocatur, ob nimiam ſitim aſſumptus, in initio eam quidem ſedat, ſed poſtea tormina abdominis vehementia cauſſat.

Collecta autem eſt haec Planta menſe Decembri ad Promont. Bonae Spei in vallibus uliginoſis & ſalſis, ubi hae Plantae creſcunt, quae, poſtquam maturum ſuum demiſerunt ſemen, ſe contrahunt, minuuntur & exareſcunt in corpus *a* tenue, oblongum, fuſcum. Lycoperdaſtrum vocatur juxta *Micheli nov. Pl. gen. pag.* 219. *Tab.* 99. quaſi Planta, quae proxime ad Lycoperdum accedit.

JOANNIS BURMANNI,

Med. Doct. & in Horto Medico Amſtelaedamenſi Botanices Profeſſoris,

RARIORUM AFRICANARUM PLANTARUM,

Ad vivum delineatarum, Iconibus ac deſcriptionibus illuſtratarum

DECAS SECUNDA.



AMSTELAEDAMI,

Apud HENRICUM BOUSSIERE.

MDCCXXXVIII.

VIRO LONGE CELEBERRIMO,

HERMANNO BOERHAAVE,

A. L. M. PHILOSOPH. ET MED. DOCT.
EJUSDEMQUE FACULTATIS PROFESSORI
IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA
ORDINARIO, SOCIETATUM REGIARUM
PARISINAE ATQUE BRITANICAE
MEMBRO, COLLEGII PRACTICI ET
CHIRURGICI PRAEFECTO,

PRAECEPTORI QUONDAM MERITISSIMO,
AC PLURIMUM SUSPICIENDO,

Secundam hanc Decadum
partem venerabundus
dicat

JOANNES BURMANNUS.



STAPELIA *aphyllos, ad nodos mammillaris, flosculo rubello, siliquis pendulis.*

PLANTARUM AFRICANARUM DECAS SECUNDA.

STAPELIA aphyllos, ad nodos mammillaris, floſculo rubello, ſiliquis pendulis.

Tab. XI.

MIrabilis haec planta e caudice craſſo, pugni fere magnitudinis, ac elegantiſſime variegato, quaſi ſummi artificis manu elaborato emittit hinc inde unam alteramve fibram tenuem, rectam, vix diviſam, fuſci coloris: Ex caudice autem jam memorato eriguntur rami pauciores craſſi, ſucculenti, aphylli ex meris nodis ſubrotundis ſibi invicem arcte junctis toti conſtantes, qui ex eorum centro loco foliorum emittunt ſquamulas oblongo-acutas carnei coloris, ſeu quantum in depicta apparet ex albo rubentes, mammillas referentes; Flos ex medio horum tuberculorum inter duos folliculos ſeu ſquamulas erectas, acutas, purpuraſcentes provenit, puſillus admodum, plena forma ex purpuro rubens, qui ut diſtincte appareat ſeparatim Tabulae inſculptus conſpicitur, & ſiliquas producit digitum fere longas, & craſſas, cinereas, per maturitatem bifariam dehiſcentes, univalves, uniloculares, dependentes.

A *Stapelio* doctiſſimo in Theophraſtum commentatore, olim hoc genus Fritillaria craſſa, poſtea ab *Hermanno* Apocynum aizoides a *Tournefortio* deinde Aſclepias aizoides; nunc autem in primi auctoris memoriam Stapelia denuo vocatum eſt a *Carol. Linnaeo in gener. ſuis Plant. N°* 183. Cujus notam Characteriſticam ab aliis generibus diverſam exacte definit, quam lubet hic ad meliorem notitiam ſubjungere.

CALIX. *Perianthium* monophyllum, quinquefidum, acutum, parvum, perſiſtens.

COROLLA. *Petalum* unicum, planum, magnum, ultra medium quinquefidum: *Laciniis* latis, planis, acuminatis.

Nectarium, ſtellula plana, ſemiquinquefida, (*laciniis* linearibus, apicibus diſſectis, truncatis) quae ambit genitalia. *Stellula* alia minima, plana, ſemiquinquefida. (*laciniis* acutis, integris) quae tegit genitalia. Laciniae quinque, alternae, ſtellulae ambientis reflexae, incumbunt ſtellulae tegenti.

STAMINA, *Filamenta* vix conſpicua. *Antherae* intra ſtellulas quinque.

PISTILLUM. Germen bifidum. *Styli* vix ulli. *Stigmata* duo obtuſa.

Perianthium. Folliculi duo, oblongi, ſubulati, uniloculares, univalves.

Semina numeroſa, imbricata, compreſſa, pappoſa.

Ulterius hoc genus illuſtratum exhibetur in *H. Cliffort. p.* 77. Quod, ſi cum duabus ſubſequentibus ſpeciebus comparetur, nullum dubium eſt, quin clariori in luce poſitum hoc Stapeliae genus harum rerum peritis appareat.



STAPELIA foliis oblongis, dentatis, flore glabro intus sulphureo, punctato extus purpureo, striato.

STAPELIA tuberculis craſsis, oblongo-rotundis; flore ex luteo & purpuro distincto; ciliari.

STAPELIA tuberculis craſſis, oblongo-rotundis; flore ex luteo & purpuro diſtincto; ciliari.

Tab. XII. Fig. 1.

E radice longa, ſinuoſa, fibrilloſa, intricata, fuſca oritur haec planta ramis plurimis ſimplicibus, craſſis, ſucculentis, aphyllis, floriferis erectis, lateralibus junioribus procumbentibus, qui toti conſtant ex tuberculis inſtar ſquamarum ſitis, ſibi mutuo arcte junctis & innatis, quae ſunt oblonga, ſubrotunda, glabra, aequalia, viridia, ſucculenta, quo diſtinguitur haec planta ab illa, quam Clariſſ. *Commel. in ſuis Plant. Afric. rarior.* exhibut *Fig. & pag.* 19. quae Aſclepias Africana aizoides, flore pulchre fimbriato vocatur. cujus tubercula ſunt longa, acutiſſima, quae & diſtincte in *Cod. Witſ.* exhibetur, ita ut licet flores, qui in *H. Cliffort pag.* 77. deſcribuntur, ſtructura & forma ſint ſimiles, plantae ipſae tamen differant, & illa, quam hic exponimus, in *Cod. Witſ.* Vocatur Apocynum humile, aizoides, ſiliquis erectis, flore tricolori, Africana; ſeu Fritillaria craſſa. & a *Caſp. Commel. in Catal. MSto.* Aſclepias Africana, aizoides, craſſa, flore pulchre fimbriato. qui ibi annotavit; Differt quam maxime haec ſpecies ab illa, quam Fritillariam craſſam *Bodaeus a Stapel*, Apocynum humile Aizoides &c. *Hermannus.* & rectius Aſclepiadem aizoidem *Tournefortius* vocavit, dum noſtrae caules ſint multo craſſiores, & flores varient, &c.

STAPELIA foliis oblongis, dentatis, flore glabro intus ſulphureo, punctato, extus purpureo, ſtriato.

Tab. XII. Fig. 2.

QUum priores ac reliquae hujus generis mihi notae ſpecies foliis omnino deſtituantur, haec ſola gerit ſua folia ad caules bina ſibi mutuo oppoſita, plana, oblonga, in ſummo profunde dentata, ſucculenta, glauca; Ex quorum alis longi eriguntur petioli, craſſi, ſucculenti, in ſummo ſuſtinentes florem magnum planum, ultra medium in quinque ſegmenta plana, oblongo-acuta diviſum, in centro corona ſingulari rotunda diſtinctum, quae in medio gerit ſtellulam planam quinquefidam, quae alia minima, plana, ſemiquinquefida iterum tegitur. Mirus hic flos intus flaveſcit maculis carneis certo ac regulari ordine ſitis diſtinctus, qui extus glaber eſt, ſtriatus, ſtriis perpendicularibus, totus purpuraſcens: atque haec in *Collect. van der Stell* eleganter depicta mihi obvenit, unde hanc exhibemus; cum qua convenit Aſclepias Africana; aizoides, folio compreſſo, digitato, & criſtato. *Boerh. Ind. H. L. B. p.* 312. quod Apocynum, humile, aizoides, monſtroſum, Africanum. *Volk. Fl. Norimb. p.* 30. audit. & Apocynum, ſeu Fritillaria craſſa monſtroſa vocatur. in *Weinmann. Phytanthoz. Tab.* 156. huc & ſpectat Aſclepias Africana, aizoides, longioribus, foliis minus dentatis. *Tournef. inſt. p.* 99. quod eſt Apocynum humile, aizoides, cauliculis longiſſimis, denticulis rarioribus donatum. *Plukn. Almag. Bot. p.* 37.

APO-



APOCYNUM *frutescens, latis & undulatis foliis; floribus umbellatis, fructu gemino ſulcato, ſpinoso.*

APOCYNUM fruteſcens, latis & undulatis foliis; floribus umbellatis, fructu gemino ſulcato, ſpinoſo.

Tab. XIII.

FRuteſcens haec Apocyni ſpecies ramos gerit craſſos, lignoſos, ex viridi purpuraſcentes, ſubhirſutos; Ex his folia erumpunt breviſſimis petiolis inſidentia, bina ſibi oppoſita, digito longiora, duos circiter pollices lata, craſſa, venoſa, ad oras undulata, in acumen deſinentia: Folia haec creberrima, denſe admodum congeſta in ramis proveniunt, atque ex eorum alis erigitur pedunculus longus, rotundus, hiſutus, qui in ſummo explicatur in petiolos tenues, longos, plurimos, umbellae in modum explanatos, qui ſinguli in ſummo gerunt unicum florem album, magnum, ingenti calice patulo, quinquefido, ſtellato, ſaepe reflexo contentum, forma & ſtructura, ut in aliis hujus ſpeciebus. Poſt flores excreſcunt fructus, qui ſunt folliculi duo, magni, inflati, oblongo-rotundi, virides, laeves, ſulcati, ad ſingulos ſulcos ſpinis magnis, acuminatis, nigricantibus ornati; unde haec pertinet ad illa Apocyna, quae ex *Rechii* & *Hernand: Hiſt. Mexicana* proponuntur in *Parad. Batav. p.* 46. atque haec forte convenit cum Apocyno erecto, Mexicano, tuberoſa radice, fructu ſpinifero. Eandemque cenſeo ac illam, quae eſt Apocynum Africanum, erectum, foliis ſubrotundis, craſſis, floribus umbellatis, albis. *Herm. Catal. Plant. Afric. p.* 3. & forte Apocynum Capenſe Androſaemi folio, venis tranſparentibus *Petiv. Hort. Sicc. p.* 241. in *Ray Tom.* 3. ut & Apocynum erectum, μονόκλωνον, Africanum, latioribus & venoſis foliis, hirſuto caule, floribus albis umbellatis. *Plukn. Amalth. p.* 18.

APO-

APOCYNUM radice longa, nodoſa, foliis latis, acuminatis; floribus umbellatis, fructu acuminato, ſpinoſo.

Tab. XIV. Fig. 1.

ORitur haec ſpecies e radice craſſa, nodoſa, quae in fibras teretes, longiſſimas ac fibrilloſas dividitur; atque caule erecto, bipedali adſurgit, qui eſt craſſus, nodoſus, purpuraſcens, atque folia gerit multiplicia, petiolis breviſſimis adfixa, quorum duo invicem ſibi ſunt oppoſita, craſſa, venoſa, oblonga, acuminata, integra, Salici aemula; Flores in caulis ſummo proveniunt plurimi in umbellam digeſti, propriis petiolis inſidentes, qui clauſi in caliculo quinquefido ſuſtinent capitulum pentagonum radiis inclinantibus, atque in quinque ſegmenta candidiſſima ad ambitum lanugine quaſi obſita diviſis; in quorum medio ſeu centro erigitur capitulum rigidiuſculum, albicans, quod ſi ſe aperit, ſubſequitur flos campanulatus, ſemiquinquefidus, laciniis reflexis, albicans, in medio ſegmentorum macula ſeu linea punicea notatus; poſt flores ſequuntur fructus, qui ſunt Folliculi inſtar veſicae inflati, oblongo-acuminati & ſulcati, nigricantibus aculeis, inermibus certa & regulari ſerie obſeſſi. Fructus autem eſt unilocularis, univalvis, atque per maturitatem ſeſe aperiens dimittit ſemina oblonga, compreſſa, plumoſa, lanugine alba donata. Hanc cum proxime antecedente ex collectione Praefecti *van der Stell.* hic exponimus, atque in Africa plurimae hujus ſpeciei varietates proveniunt, & obſervatae ſunt; cumque hac convenit Apocynum erectum, Africanum, villoſo fructu, Salicis folio lato, glabro; & Salicis folio lato, hirſuto; ut & Salicis folio glabro, anguſto; quae omnes in *Parad. Batav. a p.* 23, ad 26

pro-



APOCYNUM radice longa, nodosa, foliis latis, acuminatis; floribus umbellatis, fructu acuminato, spinoso.

CYNANCHUM foliis planis, sinuatis, flore pallide viridi, fructu craſso, glabro, viridi.

proponuntur & deſcribuntur. ut & in *Ray Hiſt. Pl. Tom.* 3. *p.* 531. atque a *Pluknet. in Almag. pag.* 36. & *Phytogr. Tab.* 138 & 139 exhibentur. quae in *Herman. Catal. Pl. Afric. pag.* 3. & *Oldenl. Catal. Pl. Afric. p.* 25. etiam commemorantur. de quibus vide *H. Cliffort. p.* 78. ubi in genere Aſclepias caule erecto, perenni, foliis lineari-lanceolatis, floribus umbellatis, fructu inflato, piloſo vocatur.

Huc & pertinet Apocynum erectum, Mexicanum, nodoſum, tuberoſa radice, folio Salicis. *Par. Bat. p.* 46. quod eſt Yzacpatli. *Rech. Terent.* in *Hernand. Hiſt. Mexic.*

Cujus fructus ſpinulis itidem eſt armatus, unde proxime huc pertinet, uti & conſtat ex *Ray Hiſt. Pl. Tom.* 3. *p.* 535.

CYNANCHUM, foliis planis, ſinuatis, flore pallide viridi, fructu craſſo, glabro, viridi.

Tab. XIV. Fig. 2.

SArmentoſa ac flexuoſa admodum haec eſt planta, quae variis viticulis excreſcit ſubhirſutis, rotundis, viridibus, ad proximas plantas ſeſe circumvolventibus, unde folia ad genicula oriuntur, bipollicari fere ſpatio remota, bina ſibi invicem oppoſita, craſſiuſcula, plana, ſinuata, in obtuſum apicem deſinentia, Pervincae majori ſpeciei, ſeu latifoliae ſimilia, e quorum alis flores pauciores, in noſtra ſpecie tres quatuorve tantum ſimul petiolis parvis inſidentes eriguntur, qui in *Hermann. Paradiſ. Batav.* novem vel undecim in altera hujus ſpecie umbellatim congeſti deſcribuntur, ſunt autem pallide vireſcentes, in quinque lacinias planas, ovato-acutas diviſi, reliquisque partibus, ut in aliis ſpeciebus conſtantes. Fructus autem, qui ſubſequitur, juxta datam figuram ſolitarius excreſcit, dependens, ex lata baſi, ventricoſoque progreſſu in acutum apicem deſinit, ſtriatus, viridis, laevis, qui in *Paradiſ. Batav.* villis aculeorum inſtar armatus deſcribitur, unde diverſa haec planta eſt ab illa, quae Apocynum ſcandens Vincae Pervincae folio viridi, fructu villoſo vocatur ac deſcribitur in *Paradiſ. Batav. p.* 58. & videtur idem, ac Apocynum ſcandens Africanum, foliis Laurinis lucidis, glabris. *Par. Bat. Pr.* quod breviter in *Parad. Bat. p.* 57. exponitur. ut & in *Ray Tom.* 3. *p.* 540.

Caeterum noſtra a *Commel. in Catal. MSto* ad *Cod. Witſ.* vocatur Apocynum Africanum, ſcandens, Vincae Pervincae foliis,

foliis, fructu glabro, flore viridi; & in *Cod. Witſ.* Apocynum Africanum, flore viridi. ubi dicitur, quod montibus arenoſis creſcat longitudine trium pedum, florens Octobri. ab *Hermann.* in *Catal. Plant. Afric. p.* 5. haec, uti videtur, vocatur Apocynum Africanum, ſcandens, Vincae Pervincae foliis ſubrotundis. Cum qua convenit forte Apocynum ſcandens, Pervincae majoris folio ex Provincia Carolina. *Plukn. Mantiſſ. p.* 17. Cynanchum hoc genus a *Linnaeo* in *Hort. Cliffort. pag.* 79. vocatur, ubi ejus altera ſpecies, quae ſubincana eſt, ipſi audit Cynanchum caule volubili, ramoſo, foliis ſubovatis cum acumine. atque hujus generis notas characteriſticas definivit in *Charact. ſuis Plant. N°* 182. *p.* 63.

CYNANCHUM radice glanduloſa, foliis anguſtis, ſinuatis, floribus urceolatis, miniatis.

Tab. XV.

EX variis glandibus uno ex caudicis centro dependentibus, & in terram ſeſe figentibus oritur haec planta, duobus tribusve ſarmentis proveniens, lignoſis, rotundis, flexuoſis, quibus firmiſſimè ſeſe proximis aliis plantis ſeu appoſitis circumvolvit, folia ad genicula bipollicari fere ſpatio remota proveniunt anguſta, oblongo-acuta, ſinuoſa, viridia, ex quorum alis hinc inde erigitur petiolus ſolitarius, uncialis longitudinis, qui explanatur in quinque ſexve minores majori ſimiles, qui in ſummo gerunt florem oblongum, tubuloſum, urceolatum, ſuperius in quinque lacinias diviſum, miniati coloris, poſt quos fructus ſolitarius excreſcit dependens, oblongus, latiore baſi in tenuiſſimum apicem deſinens, viridis, per maturitatem dehiſcens *a*, intus continens ſemina per ſtrata inſtar ſquamarum Piſcium locata, fuſca, oblonga, lanuginoſa.

In *Herman. Paradiſ. Batav.* vocatur Apocynum ſcandens Africanum, Aſphodeli radice, anguſtiſſimo folio *Oldenlandii*, ubi & etiam deſcribitur. & in *Catal. altero Oldenlandi. pag.* 25. *Tournef. inſt. p.* 92. vide & *Ray Tom.* 3. *p.* 540. in *Cod. Witſ.* Apocynum Afric. flore rubro. ubi & dicitur, quod dunis creſcat, florens Octobri. ab *Hermann. in Catal. Plant. Afric. p.* 4. vocatur Apocynum Africanum, ſcandens, Aſphodeli radice, Arbuti flore. Quae forte eſt Aſclepias lacteſcens, & ſcandens, foliis Linariae, Arbuti flore, Capit. Bonae Spei *Breyn. Prodr.* 2. *p.* 20. & Apocyno ſimilis, anguſtiſſimo folio, Curaſſavica, tuberoſa radice, caule geniculato, nodoſo. *Par. Bat. Pr. p.* 314. quod Apocynum fruticeſcens, ſtrictiſſimis, rigidis, & praelongis foliis, bullatis floribus, Africanum. *Plukn. Mantiſſ. p.* 17.

CY-



CYNANCHUM radice glandulоſa, foliis anguſtis, ſinuatis, floribus urceolatis, miniatis.





Fig. 1.
CYNANCHUM
linearibus foliis,
acutis, floribus
urceolatis, rubris.
Fig. 2.
CYNANCHUM foliis
cordato-ſagittatis,
fructu Cucumerino.

CYNANCHUM linearibus foliis, acutis, floribus urceolatis, rubris.

Tab. XVI. Fig. 1.

E radice ſimplici, longiſſima, craſſa, tuberoſa, tenues fibrillas emittente oritur haec planta ſarmentoſa, duos circiter pedes alta, in varios ſimplices, flexuoſos ac laxos ramos diviſa, quibus ſe proxime adſtantibus aliis plantis, Cuſcutae modo, innectit; Folia ad caules incerto ordine bina tamen ſibi oppoſita plurimum, ſita ſunt anguſta, glabra, viridia, integra, ſeſſilia, acuta. Flores ad alas pauciores ſimul proveniunt, quatuor, quinque, raro plures ſimul, brevibus e petiolis dependentes, oblongi, urceolati, ſuperius in quinque minima ſegmenta, oblongo-acuta diviſi, coloris rubri. De fructu mihi non conſtat, & in *Cod. Witſ.* ſimpliciter Apocynum tantum vocatur, quod apud nullum offendi auctorem in hunc uſque diem. Fortè eſt Apocynum ſcandens Curaſſavicum Saturejae foliis. *Parad. Bat. p.* 60. ubi inter alia dicitur, quod foliis priori Apocyno ſit brevioribus, ſiliquis quoque anguſtioribus & brevioribus; Radice pro plantae magnitudine ſatis craſſa, quod & notatur in *Ray Tom.* 3. *p.* 540. Huc & pertinere videtur Apocynum Capenſe, Rosmarini folio, floribus comoſis. *Petiv. hort. ſicc.* apud *Ray Tom.* 3. *p.* 241.

CYNANCHUM *foliis cordato-ſagittatis, fructu Cucumerino.*

Tab. XVI. Fig. 2.

SArmentoſa atque volubilis haec planta caules gerit tenues laxos, glabros, rotundos, virides, quibus folia adcreſcunt petiolis ſemi-pollicem longis adfixa, qui in nervum longitudinalem videntur excreſcere. Folia autem ipſa ſunt tenuia, viridia, glabra, cordata, ſagittata, ſeu acuminata. Flores ex eorum alis longis petiolis inſidentes proveniunt in umbellas laxas parvasque collecti, plani, rotati, in quinque ſegmenta diviſi, ſaepe etiam reflexi; Poſt hos excreſcit fructus oblongus, in medio craſſiſſimus, tuberculoſus, dependens, qui & inſtar Cucumeris fructus etiam carinatus apparet, atque inaequalis, uti in Momordicae ſpeciebus etiam conſpicitur. Huc pertinet Apocynum ſcandens, Zeylanicum, Scammonii foliis, hirſutum. *Herman. Parad. Bat. pag.* 56. cujus deſcriptio cum noſtra planta ſatis convenit, quae hirſutie tantum differre videtur, & quae in *Theſ. Zeylanico a me* vocatur Aſclepias hirſuta, Scammonei folio, *pag.* 36. quae Periplocae Monſpeliacae ſpeciebus, quae etiam Scammonei folia habent, ſatis adfinis eſt, quas ad Cynanchum caule volubili, foliis reniformi-cordatis, acutis relatas vide in *H. Cliffort. p.* 79.

CO-



COTYLEDON foliis ad genicula plurimis planis, oblongis; floribus gemellis, erectis, Caryophyllaeis.

COTYLEDON foliis ad genicula plurimis planis, oblongis; floribus gemellis, erectis, Caryophyllaeis.

Tab. XVII.

EX plurimis fibrillis tenuibus, flexuoſis, intricatis, nigricantibus, ex uno centro prorumpentibus oritur caulis unus alterve, qui in alium ſibi ſimilem iterum dividitur, ſcaber, ſubrotundus, geniculatus, fuſcus, qui in ejus ſummo folia gerit plurima collecta, & ex uno quaſi centro provenientia, quae ſunt plana, oblonga, ex tenuiori baſi in latum apicem deſinentia, craſſa, venoſa, glauca, limbo purpureo; ex horum centro erigitur caulis florifer tenuis, rotundus, viridis, qui ultra dimidium divaricatur, & in ejus ſummo in plures minores dividitur ramulos, qui in ſummo gerunt flores utcunque gemellos, ſinguli tamen ſuo petiolo proveniunt, ſuisque calicibus tenuibus, oblongis, quinquefidis continentur; Flores hi ſunt tenues, oblongi, tubuloſi, forma fructus Caryophylli arboris referentes, in ſummo quinquefidi, ſegmentis planis, anguſtis, acutis, carneis, in ſingulo ſegmento linea rubra diſtinctis, ſeu variegatis. Poſt hos ſequuntur fructus teretes (*a*) in quinque loculamenta (*b*) perpendiculariter fiſſi, quinqueloculares, in ſingulo loculo (*c*) continentes ſemina minima (*d*) ſubrotunda, fuſca. A *Caſp. Commel. in Catal. MSto* ad *Cod. Witſ.* vocatur Sedum Africanum montanum, foliis orbiculatis, floribus parvis, variegatis; & in *Cod. Witſ.* Sedum Africanum montanum, minus, folio rotundo, flore ex rubro & albo variegato. ubi & dicitur, quod in montibus creſcat inter rupium fiſſuras,

fiſſuras, florens Novembri. Huc ſpectat Cotyledon major, arboreſcens, Afra, foliis minoribus, oblongis atro-viridibus. *Boerh. Ind. H. L. Bat. p.* 287. & Cotyledon Africanum, foliis oblongis, floribus umbellatis, fibroſa radice. *Olendenl. Catal. Plant. Afric. p.* 27. & *Tournef. inſt. p.* 90. quod eſt Sedum Africanum, umbellatum, album, foliis Gentianae cruciatae anguſtioribus. *Par. Bat. Prodr.* uti conſtat ex *Ray Tom.* 3. *pag.* 361. huc & pertinere videtur Sedum Africanum, anguſtis longioribus foliis, Jaſmini floribus umbellatum. *Plukn. Mantiſſ. p.* 169.

CO-





COTYLEDON frutescens, folio oblongo, viridi, floribus ramosis, pendulis, reflexis.

COTYLEDON fruteſcens, folio oblongo, viridi, floribus ramoſis, pendulis, reflexis.


Tab. XVIII.

PRovenit haec planta in ſoli ſaxoſi planitie radice maxime fibroſa in plurimas longasque majores fibras diviſa, quae fibrillas tenues ſibi invicem intricatas plurimas emittunt fuſcas, lata plaga ſeſe undique diſpergentes; unde exſurgit caudex craſſus, ſcaber, fuſcus, in fruticis formam ſeſe attollens, qui vario modo ſuos protrudit ramos nodoſos, craſſos, in ſummo producentes folia plana, lata, craſſa, oblonga, tenuiori baſi in obtuſum planitiem ſaepe extenſa, *a* nunc viridia, nunc glauca, ſucculenta. Florum rami multiplices ſupremam hujus plantae partem occupant longiſſimi, vario modo diviſi, unde ſinguli ex propriis petiolis flores dependent tubuloſi, magnis calicibus quinquefidis contenti, qui ad oras in quinque lacinias, latas, reflexas nunc flavas, nunc rubeſcentes dividuntur, qui ante fructificationem marceſcunt *b* plurimaque ſtamina virentia antheris purpureis habent. Fructus tubuloſus, acutus, *c* in quinque ſegmenta perpendiculariter diviſus, quorum ſingulum *d* oblongo-acutum eſt, atque in capſula ſeminali plurima continentur ſemina, oblonga, fuſca, minima *e*. Variat haec admodum planta ratione formae ac coloris foliorum, nunc enim latiora, nunc magis oblonga, nunc viridia, nunc penitus glauca ſunt: flores itidem flavo ac rubro ſeſe diſtingunt ſaepe colore, unde & varie admodum haec denominata eſt planta; vocatur enim a Clariſſimo *Boerhaavio in Ind. H. L. Bat. p.* 287. Cotyledon Afra, arboreſcens, major, foliis glaucis,

 oblon-

oblongioribus, flore luteo; & Cotyledon foliis ſubrotundis, planis, integerrimis. *H. Cliffort. p.* 176. Sedum majus, arboreſcens, Africanum, foliis oblongioribus, flore luteo. *Breyn Prodr.* 2. *p.* 88. Sedum arboreſcens, maximum, latifolium, flore flavo, *Dn. Ten Rhyne. Breyn. Cent. I. p.* 179. Sedum arboreſcens, Promontorii Bonae Spei. *Stapel.* 335. Sedum Africanum, fruteſcens, longiori folio, flore purpureo. *Cod. Witſ.* ubi & notatur, quod Decembri floreat. Sedum Africanum, fruteſcens, viride, orbiculatis foliis minoribus, floribus Hemerocallidis pendulis, rubris. *Herman. Catal. Pl. Afric. p.* 20.

CO-




Tab. 19.
P. 43.
Fig. 2.
Fig. 1.
COTYLEDON foliis latis, sinuosis, in aculeum desinentibus; floribus erectis, angustis.
COTYLEDON acaulon, foliis ad radicem ſessilibus, oblongis angustis, floribus pendulis, reflexis.

COTYLEDON acaulon, foliis ad radicem ſeſſilibus, oblongis, anguſtis, floribus pendulis, reflexis.

Tab. XIX. Fig. 1.

EX radice craſſa, nodoſa, cinerea, concolores fibras breves paucioresque emittente oritur haec planta acaulos, quum ex ipſa radice folia ſua emittat nullis pedunculis adfixa, ſeu ſeſſilia, ſex ſeptemve ſimul erumpentia, oblonga, anguſta, aequalia, craſſa, & ſucculenta, viridia, e quorum medio erigitur petiolus ſeſquiſpithamalis fere, erectus, rotundus, viridis, qui in ſummo bifurcatur, ac duos tresve flores in ſingula diviſione producit magnos, pendulos, calicibus magnis quinquefidis contentos, qui in quinque ſegmenta dividuntur, & rubri ſunt, ac inſtar Hermocallidis reflectuntur, unde a *Plukenetio* vocatur Sedum Africanum, teretifolium, flore Hermocallidis, quae in *Phytogr. Tab.* 223. *Fig.* 1. exhibetur. atque Aloë Capenſis, Cepae folio a *Petiver.* dicitur, & in *Gazoph. Tab.* 89. *Fig.* 2. exprimitur, ab *Oldenland. in Catal. alt. Pl. Afric. p.* 27. nominatur Cotyledon Africanum, teretifolio, flore pulcherrimo. quae *Tournef. inſt. pag.* 90. Cotyledon Africana, teretifolia, flore pulcherrimo audit. Quum autem nondum erat deſcripta haec elegans planta, hic loci ad certum ſuum genus eam reducere, deſcribere, ac vacuo ſimul Tabulae loco jungere ejus figuram volui. quae juxta *Codicem Witſenianum* in locis declivis, ſaxoſis, arenoſisque creſcit maxime ad litus maris, vocaturque ab incolis *Kebeeb.*

COTYLEDON foliis latis, ſinuoſis, in aculeum deſinentibus; floribus erectis, anguſtis.

Tab. XIX. Fig. 2.

E radice longa, fibroſa prorepente oritur caulis erectus, teres, ſemiſpithamalis in duos tresve ramos ſuperius ſe dividens, ubi folia erumpunt plurima ſimul collecta, ſeſſilia, lata, plana, tenuiori baſi orta, ad medium circa oras ſinuoſa, & in aculeum acutum, quandoque reflexum deſinentia: Ex medio foliorum centro erigitur caulis florifer, ſpithamalis, erectus, qui in ſummo ejus vertice flores producit propriis ſuis petiolis bipollicaribus inſidentes oblongos, ſeu tubuloſos, ſulcatos, ad oras in quinque tenues, acutas lacinias diviſos, qui ſtamina longiſſima, tenuiſſimaque reflexa emittunt. Hujus apud nullum auctorem offendi in hunc uſque diem ullam denominationem, multo minus figuram, aut deſcriptionem, unde hanc, ex collectione plantarum per curam Praefecti *van der Stell* depictarum, primum exhibeo.



COTYLEDON *aphyllum, ſquamoſum, mammillare, floribus flavis longiſ-ſimo caule inſidentibus.*

COTYLEDON *ſquamato caudice, foliis oblongo-acutis, floribus magnis, erectis, rubris.*

COTYLEDON ſquamato caudice, foliis oblongo-acutis, floribus magnis, erectis, rubris.

Tab. XX. Fig. 1.

E radice nodoſa, binos pollices craſſa, brevi, longiſſimas fibras emittente oritur haec elegans planta caudice recto ſemiſpithamali, pollicem & ulterius craſſo, ſquammoſo, pallido, qui ex ſingula ſquamma oblongo-rotunda emittit unicum folium circa radicem, & in infima caudicis parte cito evaneſcens, ſeu decidens, in ſummo autem folia magis perennant, atque ex tenui, ſimplicique baſi latiora tandem evadunt, quae in acutum apicem deſinunt, laete viridia, glaberrima, & ut in caeteris ſucculenta, quae in caudicis vertice maxime colliguntur, e quorum medio erigitur caulis florifer longus, in duas ſpithamas, & ulterius excreſcens, qui in ſummo divaricatur, atque in ſingulo diviſionis ſummo unicum producit florem magnum, oblongum, tubuloſum, ſuperius in quinque lacinias diviſum, qui ſtamina varia nigricantia cum antheris nigris, quadriſulcatis emittit, qui capſulam dat oblongo-acutam *a*, quinquelocularem, longitudinaliter *b* dehiſcentem, intus plurima ſemina parva recondentem. a *Caſp. Commel.* in *Catal. MSto* ad *Cod. Witſ.* vocatur Sedum Africanum, ſquammato caule, Myrti folio, flore rubro. & in *Cod. Witſ.* Sedum Africanum, flore rubro. ubi & additur, quod in dunis maxime creſcat ad pedis altitudinem, florens Octobri.

COTYLEDON aphyllum, ſquamoſum, mammillare, floribus flavis longiſſimo caule inſidentibus.

Tab. XX. Fig. 2.

QUantum apparet haec planta penitus videtur aphylla, vel ſaltem, quum flores producat, iis in totum deſtituta; atque caudice erigitur craſſo, oblongo-rotundo, laevi, ex variis ſquamulis certo & regulari ordine locatis conſtans, quae per fibras oblique decurrentes dividuntur in ſegmenta plana, quadrata, aequalis magnitudinis, quae, ubi caudex divaricatur, in ſummo deſinunt, ubi eriguntur mammillae oblongae, virides, glaberrimae, punctis ſubrotundis, albicantibus undique ornatae, quae veſtigia foliorum demiſſorum apparent, & forte floribus erumpentibus decidunt. hi in ſummo caule ſuſtinentur propriis ſuis petiolis inſidentes bini utcunque ſimul provenientes, ſunt autem oblongi, tubuloſi, in quinque ſegmenta ſubrotunda ad medium circiter diviſi, coloris flavi. Caulis autem florifer ex ſumma mammilla provenit, ſeſquiſpithamalis & ulterius longa, ſquamulis purpureis hinc inde obſita. A nullo in hunc uſque diem obſervatam inveni, & ex Collectione Gubernatoris *van der Stell* eam producimus. Forte Cotyledon Africanum, fruteſcens, folio longo, anguſto, flore flaveſcente; *Oldenl. Catal. Pl. Afric. p. 27.* idem eſt.

JOANNIS BURMANNI,

Med. Doct. & in Horto Medico Amſtelaedamenſi Botanices Profeſſoris,

RARIORUM AFRICANARUM PLANTARUM,

Ad vivum delineatarum, Iconibus ac deſcriptionibus illuſtratarum

DECAS TERTIA.



J.C.Philips del. et fecit 1738.

AMSTELÆDAMI,

Apud HENRICUM BOUSSIERE.

MDCCXXXVIII.

VIRO CELEBERRIMO,

ET EXPERTISSIMO,

D. HERMANNO OOSTERDYK SCHACHT,

A. L. M. PHILOSOPH. ET MED. DOCT. EJUSDEMQUE THEOR. PRACT. ET COLLEGII PRACTICI IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA, PROFESSORI ORDINARIO, ILLUST. PRAEPOT. ORD. HOLLAND. AC WESTFRIES. COLLEG. THEOLOG. MEDICO, ET COLLEGII PHARMAC. PRAESIDI.

PRAECEPTORI QUONDAM DIGNISSIMO, AC PLURIMUM VENERANDO,

Hanc Tertiam Decada
in gratiſſimi animi
monumentum dedicat

JOANNES BURMANNUS.



COTYLEDON foliïs linearibus, solitariïs, floribus virentibus; ventricosis.

COTYLEDON, foliïs linearibus flore quadrifido; fructu subrotundo, quinque-angulari.

PLANTARUM AFRICANARUM DECAS TERTIA.

COTYLEDON foliis linearibus, ſolitariis, floribus virentibus, ventricoſis.

Tab. XXI. Fig. 1.

EX radice flava, fibrilloſa oritur haec ſingularis planta, caudice craſſo, brevi, inferius glabro, ex viridi nigricante, ſuperius diviſo, & tuberculis ſquamoſis, ſubrotundis coronato, quae folia ex eorum centro producunt ſolitaria, ſeſſilia, oblongo-acuta, integra, linearia, admodum caduca, floribus nempe provenientibus decidua, ad florum caules autem alternatim ſita ſunt & perennia; Flores in caulis ſummo ſuis petiolis inſident utcunque gemini, ſingularis ſtructurae; ex tenuiori enim baſi, tumidi ac ventricoſi facti ſulcatique in acutum apicem deſinunt ſi clauſi, aperti vero ad eorum oras in quatuor lacinias planas acutas dividuntur, qui herbacei ſunt coloris, ac producunt vaſculum ſeminale tenue, oblongum *a*, ſuperius in quinque partes *b* per maturitatem dehiſ-

 cens,

cens, in quinque loculos perpendiculariter diviſum, ſemina condens minutiſſima, ſubrotunda, fuſca *c.* a *Caſp. Commel.* in *Catal. MSto* ad *Cod. Witſ.* vocatur Sedum Africanum, folio deciduo & anguſto; flore flavo. & in *Cod. Witſ.* Sedum Africanum, minus, folio oblongo, flore flavo. ubi annotatur, quod locis creſcat planis argilloſisque, florens Decembri, quum demittit ſua folia. Ab *Herman. in Catal. Plant. Afric. p.* 20. vocatur Sedum Africanum, foliis Ficoidis longioribus, acutis; floribus minimis, in capitula conglobatis.

COTYLEDON, foliis linearibus, flore quadrifido; fructu ſubrotundo, quinqueangulari.

Tab. XXI. Fig. 2.

ADſurgit haec planta caule erecto, rotundo, purpureo, glabro; cui folia adcreſcunt uncialis longitudinis, viridia, nervo longitudinali medio percurrente albo, oblongo-acuta, ſeſſilia, incerto ordine, nunc enim gemina, nunc terna, aliquando & praeſertim in ſummo proveniunt ſolitaria. Ex horum alis petiolus tenuis longitudinem foliorum excedens oritur, qui ad medium in binos dividitur minores petiolos, hi in ſummo gerunt flores purpureos, oblongos, in quatuor ſegmenta diviſos, longiſſimis ſtaminibus apicem luteos habentibus praeditos. Fructus excreſcens eſt ſubrotundus, flavus, quantum apparet quinqueangularis, & in quinque loculos diviſus. unde & proxime Cotyledonis generi accedit, a nemine autem, quantum ſcio, novi hanc plantam obſervatam, multo minus depictam, vel deſcriptam, & ex Collectione praefecti *van der Stell* hanc publici juris facimus.

COTYLEDON foliis anguſtis, oppoſitis, cum limbo purpureo, floribus pendulis.

Tab. XXII. Fig. 1.

RAmi hujus plantae duas circiter ſpithamas longi ſunt, teretes, purpuraſcentes, qui folia inferius gerunt anguſta, aequalia, integra, bina ſibi invicem oppoſita, apicibus ſeu limbis purpureis ornata, ſeſquiunciam longa, ſemiunciam circiter lata: In ramorum ſummo flores proveniunt e petiolis duos pollices longis laxe dependentes, tres ſimul plerumque provenientes uno ex centro, qui ut in aliis hujus ſpeciebus, in quinque ſegmenta oblongo-acuta, & reflexa dividuntur, rubri & elegantis coloris, qui fructus dant teretes in quinque ſegmenta acuta diviſos, ſemina ut in aliis hujus ſpeciebus gerentes. Hancque in collectione *D. van der Stell* inveni, cum qua convenire videtur Sedum Africanum, fruteſcens, foliis longioribus, floribus Hemerocallidis. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 20. & Sedum flore rubro, pendulo. *Breyn. Cent. p.* 180.



Fig. 1.

COTYLEDON foliis angustis, oppoſitis, cum limbo purpureo, floribus pendulis.



Fig. 2.

CRASSULA foliis oblongo-acutis, flore quadrifido, sanguineo.

CRASSULA *foliis oblongo-acutis, flore quadrifido, ſanguineo.*

Tab. XXII. Fig. 2.

FRuteſcens haec videtur ſpecies, quum rami ejus lignoſi, perennantes, fuſci, teretes, raro diviſi folia gerant ſimplicia irregulari ortu erumpentia, oblongo-acuta, integra, craſſa, viridia, ſucculenta, quae uſque ad ſummum caules undique cingunt, ubi flos erigitur, quantum apparet, ſolitarius in quatuor ſegmenta plana acuta diviſus, coloris ſanguinei. De hujus autem fructu mihi non conſtat, quum in Collect. *D. van der Stell*, ex qua hanc producimus, non ſit adnotatus. ubi Sedum Africanum fruteſcens, flore rubro vocatur, & notatur, quod in dunis creſcat praeſertim ſecundum litus maris, florens Octobri. Hanc cum ſubſequentibus ſpeciebus a Cotyledone, Sedo, & Anacampſerote diverſam cum Clariſſ. & accuratiſſ. *Dillen in Hort. Elth. pag.* 114. ad novum genus *Craſſulam* ipſi dictam reduximus.

CRAS-

CRASSULA foliis planis, craſſis, acutis, flore ſanguineo, quinquefido.

Tab. XXIII. *Fig.* 1.

E radice tenui, fibrilloſa, fuſca, brevi, parum diviſa, oritur caudex nodoſus, ſemi pollicem craſſus, ſemiſpithamalis, fuſcus, qui ramos duos tresve concolores emittit rectos, craſſos, inaequales, unde folia erumpunt craſſa, plana, oblongo-acuta, ſeſſilia, ſucculenta, viridia, interdum maculis nigris notata, quae in minoribus ramis *aa* denſiſſime congeſta obſervantur, folia haec incerto ordine per totum caulem uſque ad ſummum diſperguntur, ubi flores proveniunt pauciores, gemini utcunque, in quinque ſegmenta anguſta, acuta, profunde diſſecti, coloris ſanguinei. Flores hi calicibus tenuiſſime diſſectis, & in quinque acutas lacinias *b* diviſis continentur, qui ſtaminibus tenuiſſimis *c* cum antheris oblongis obtuſis *d* gaudent, atque capſulam ſeminalem producunt longam, acutam, tenuiſſime diſſectam *e*, quae ruditer & inperfecte, uti videtur, in *Cod. Witſ.* depicta conſpicitur, ubi haec planta Sedum Africanum, flore rubro vocatur.


Fig. 2.
Fig. 1.
a
a
b
c
d
e
e
CRASSULA foliis tere:tibus, floribus in ſummo ramorum luteis.
CRASSULA foliis planis, craſsis, acutis, flore ſanguineo, quinqueſido.

CRASSULA foliis teretibus, floribus in ſummo ramorum luteis.

Tab. XXIII. *Fig.* 2.

E radice tenui, longiſſima, prorepente, fibrilloſa, fuſca oritur haec planta caudice recto, inaequali, ſquamoſo, fuſco, ſpithamali, folia in ſummo producens longiſſima, teretia, craſſa, ſucculenta, viridia, ad ſummum ſenſim attenuata & minima; ubi flores erumpunt plures ſimul collecti, parvi, in quinque ſegmenta plana, acuta diviſi, coloris lutei. Fructus excreſcens itidem parvus, tenuiſſime ſectus, & in acutiſſima ſegmenta diviſus, ſemina continet minima, ſubrotunda, fuſca. Sedum Africanum umbellatum in *Collect. D. vander Stell* haec vocatur. & videtur eſſe Sedum Africanum, humilius, folio Ficoidis glauco, craſſiori, floribus umbellatis. *Herman. Cat. Pl. Afric. p.* 20. atque Sedum Africanum, umbellatum, majus, foliis hirſutie fimbriatis. *Plukn. Phyt. p.* 340. cujus folia tamen glabra depicta ſunt, floribus autem vidua planta, caeterum noſtrae ſatis ſimilis, ni eadem.

CRASSULA foliis oblongo-acutis, dentatis, flore ex alis ſolitario, flavo.

Tab. XXIV. Fig. 1.

EX tenui, fibroſa, nigricante radice oritur haec planta ramis bipedalibus, laxis, purpureis, hirſutis, qui folia gerunt alterna, latiore baſi orta, in ſummo acutiſſima, ad limbos dentata, ſeſſilia, ex horum alis flos provenit ſolitarius, breviſſimo petiolo inſidens vel ex eo dependens, calice magno, lato, quinquefido exceptus, qui in quinque ſegmenta dividitur oblongo-acuta, flavi coloris, ac fructus producit tenuiſſime diviſos, ſemina condentes rotunda, parva, ſubfuſca, Sedum Africanum flore luteo in *Collect. D. van der Stell* vocatur, & forte idem eſt ac Craſſula foliis ſerrato-dentatis, planis, alternis, caule ſimpliciſſimo, floribus pendulis. *H. Cliffort. pag.* 497. Quod Cotyledon flore luteo, media. *Herman. Cat. H. L. B. pag.* 191. an Sedum Africanum, Centaurioides, luteum, foliis acutis. *Herman. Cat. Pl. Afric. p.* 20?

Tab. XXIV.



Fig. 1.

CRASSULA foliis oblongo-acutis, dentatis, flore ex alis ſolitario, flavo.

Fig. 2.

ANACAMPSEROS foliis oblongis, punctatis, limbo rubro cinctis; floribus umbellatis, purpureis.

ANACAMPSEROS foliis oblongis, punctatis, limbo rubro cinctis; floribus umbellatis, purpureis.

Tab. XXIV. Fig. 2.

ADſurgit haec elegans planta caule erecto, ſpithamali, rotundo, inaequali, elegantiſſime variegato; qui ſe explicat in ramos ſpithamales, erectos, vix diviſos, quibus folia circumcreſcunt incerto ordine multiplicia, oblongo-acuta, integra, craſſa, ſucculenta, venoſa, punctis viridibus ubique diſtincta, limbis rubris elegantiſſime colorata. Flores in ramorum ſummo proveniunt plurimi in umbellas varias diviſi, propriis petiolis inſidentes, quadripetali, purpuraſcentes; reliqua ut in aliis hujus ſpeciebus. Ex collectione Praefecti *van der Stell* hanc proponimus, a nullo alio, quantum mihi conſtat, in hunc uſque diem obſervatam.

MESEMBRYANTHEMUM folio triangulari, glauco, ſaepe reflexo & aculeato; Bellidiflorum.

Tab. XXV.

E radice tenuiſſima, longa, recta, raro diviſa, fuſca, oritur haec planta, quae quamprimum e terra provenit in varios dividitur ramos, nunc erectos, nunc vero procumbentes, hi ex meris foliis ſibi invicem oppoſitis, & decuſſatim naſcentibus conſtant, quae glauca admodum ſunt ſuperne plana, inferne in dorſum rotundo-acutum deſinentia, ſeſſilia, haec ad oras, & praeſertim ultra medium uſque ad eorum finem denticulis acutis, erectis, rigidiuſculis, glaucis obſita ſunt. Flores ex alis foliorum conjugatorum oriuntur ſolitarii, petiolis biuncialibus, teretibus, aphyllis inſidentes, calice glauco in quinque ſegmenta acuta aequalia diviſo contenti, plurimis petalis aequalibus in ſummo laeviter cordatis conſtantes, forma & magnitudine florum Bellidis convenientes horum petala ſunt ſtriata ex albo rubentia, ſaepe & violacei coloris. Vaſculum ſeminale hujus ſpeciei, cujus haec noſtra varietas videtur, eleganter exhibetur, & deſcribitur a Clariſſ. *Dillen.* in *H. Elth. pag.* 244. *Tab.* 189. atque ipſi audit Meſembryanthemum Bellidiflorum; & hujus ſynonyma facit, quae vocantur Ficoides Capenſis, humilis, folio triangulari, in ſummitate dentato, flore minore, purpuraſcente. *Plant. Succul. Dec.* 2. *Tab.* 18. *p.* 9. & Ficoides Africana, humilis folio triangulari, breviori, nonnihil ſpinoſo, ſeu denticulato. *Flor. Norimb. p.* 166. Ficoides Africanum Meſembryanthemum triquetro folio, flore albo,

parvo,



MESEMBRYANTHEMUM *folio triangulari, glauco, ſaepe reflexo & aculeato, Bellidiflorum.*

parvo, polyanthos *Plukn. Mantiſſ. p.* 77. & *Rai Hiſt. Pl. Tom.* 3. *p.* 364. *num.* 2. Ficoides Africana, folio triangulari, incurvo & dentato. *Tournef. Act. Reg. Pariſ. ann.* 1705. *p.* 240. *num.* 20. Ficoides, ſeu Ficus aizoides, Africana, humilis, folio craſſo viridi, ad extrema ſpinoſo, flore violaceo. *Boerh. Ind. H. L. Bat. p.* 123. *num.* 12. Ficoides Africana, humilis, folio viridi, triangulari, in apice dentato *Schwer. Cat.* Ficoides Afra, folio triangulari, longo, marginis inferioris ſupremo aculeato, flore violaceo. *Boerh. Ind. H. L. Bat. part.* 1. *pag.* 29. *num.* 15. quae Ficoides Africana folio incurvo & dentato. *Oldénl. Cat. Pl. Afric. p.*28. videtur &c. Atque Horti *Eltham.* auctor primus amplum & intricatum hoc genus in certas ſuas claſſes, cum plurimis ſynonymis, elegantiſſimis figuris, atque accuratiſſimis deſcriptionibus digeſſit & illuſtravit, ubi omne, quod ad hoc genus ſpectat, inveniri poteſt. Hujus plurimas itidem ſpecies poſſideo elegantiſſime depictas, ſed quum plurimae in *H. Eltham*, jam ſint optime exhibitae, iis ſuperſedeo, & hanc a *Dillenii* planta creſcendi modo, & in quibusdam partibus diverſam hic exponere volui, & cum rarioribus ſubſequentibus ſpeciebus pro ſpecimine huic ſimul operi inſerere. Mirum certe eſt, quod omnes, excepta una tantum alterave, hujus generis ſpecies, quae ultra ſexaginta in *H. Eltham.* deſcribuntur, in extremo illo orbis terrarum angulo, Promontorio Bonae Spei vulgo dicto, ſponte naſcantur, praeſertim circa ora maritima locis aridis ſabuloſisque laete luxuriantes, non tantum praetereuntibus delectabiles vario florum colore, ſed & ſitientibus inprimis incolis quorundam fructus grato ſapore, tam recremento quam corporis nutrimento jucundi & exoptabiles ſint, unde & hi Ficus Hottentorum vulgo dicuntur.

H 3 ME-

MESEMBRYANTHEMUM foliorum apicibus rubris, flore radiato.

Tab. XXVI. Fig. 1.

PRocumbens humiliſque haec planta, quamprimum e terra provenit, varios emittit ramos ſimplices, per ſolum ſeſe diffundentes, quae foliis veſtiti ſunt ſimplicibus, craſſis, excavatis, in acutum apicem deſinentibus, qui eleganti rubro colore perfuſus ac diſtinctus eſt; Flos autem in ramorum ſummo provenit ſolitarius, ex innumeris tenuiſſimis, aequalibus, radiatis filamentis compoſitus, luteſcentis coloris, qui radii ex diſco carneo quaſi ex eorum centro ſuum habent ortum, atque elegantiſſimum ſimul conſtituunt florem, quem ob ſingularem ſtructuram cum aliis ſubſequentibus ſpeciebus, ab exhibitis congeneribus per *Dillenium* multum differentibus, operae praetium duxi hoc loco exhibere, quas ex Collectione *D. van der Stell* poſſidemus, ac publico uſui offerimus. atque huc forte pertinet Ficoides Africana, folio longo, triangulari, apice rubro, caule purpuraſcente. *Oldenl. Cat. Pl. Afric. p.* 29.

ME-


Pag. 62.
Tab. XXVI.
MESEMBRYANTHEMUM foliis parvis, teretibus, flore virenti, hexapetalo.
Fig. 2.
MESEMBRYANTHEMUM foliis triquetris, flore parvo, rubente.
Fig. 3.
b
a
a
c
c
c
c
Fig. 1.
MESEMBRYANTHEMUM foliorum apicibus rubris, flore radiato.

MESEMBRYANTHEMUM foliis parvis, teretibus, flore virenti, hexapetalo.

Tab. XXVI. Fig. 2.

ELegans haec planta ex radice craſſa, pollicari, longiſſima, ſpithamali, fuſca, varias laterales majores fibras emittente, plurimos ſimul e terra attollit ſurculos vagos, laxos, procumbentes, qui ſuperius in varios dividuntur ramulos, virides atque hi folia gerunt quatuor, ſexque ſimul congeſta, quorum duo inferiora ſunt majora reliquis multo minoribus, ſunt autem anguſta, acuta, teretia, viridia, ſucculenta, ſeſſilia: In ramorum ſummo flores proveniunt utcumque tres ſimul collecti, medio majore, binisque lateralibus ex ejus centro Proliferorum more erumpentibus: His corona foliacea ſuccingitur, atque ſex petalis oblongo-acutis, latis, virentibus conſtant, plurimis ſtaminibus albicantibus gaudentes, poſt quos ſequitur vaſculum ſeminale, rotundum, planum, fuſcum, in ſex loculamenta aequalia *a* diviſum, continens ſemina minima, ſubrotunda, fuſca. *b*

Perennis haec planta videtur, quum rami prioris anni lignoſi facti, foliis omnino deſtituantur, qui fuſci etiam coloris ſunt, quum ſuperiores foliis inſtructi, ſint virides, atque poſt eorum lapſum ſquamulas parvas *cc* tanquam eorum veſtigium retinent. Hujus apud nullum auctorem ullam inveni mentionem, atque in *Cod. Witſ.* vocatur Ficoides Africana, hexapetala, flore viridi. ubi annotatur, quod locis creſcat argilloſis repende per terram, florens menſe Auguſto.

ME-

MESEMBRYANTHEMUM foliis triquetris, flore parvo, rubente.

Tab. XXVI. Fig. 3.

RAmi hujus plantae lignoſi ſunt, ſimplices, teretes, glaberrimi, qui ad nodos gerunt folia collecta, oppoſita, ſeſſilia, ex latiore baſi in obtuſum deſinentia, triquetra, decuſſatim provenientia; Flores in ramorum ſummo proveniunt ſolitarii, parvi, rubentes, qui breviſſimis petiolis inſident, ac cum calice in quinque ſegmenta diviſo excreſcit vaſculum ſeminale, ſubrotundum, depreſſum, in quinque prominentias diviſum, quae totidem ſunt loculi diviſi ſemina ſua condentes, uti in aliis hujus ſpeciebus. Forte haec eadem eſt ac Ficoides Africana, erecta, folio triangulari, glauco & brevi, flore carneo. *Oldenl. Cat. Pl. Afric. p.* 29.



OXALIS bulbosa, angus-tifolia, caule folioso, flore rubro.

OXALIS bulbosa, angus-tisdigitatis foliïs, flore solitario, luteo.

OXALIS bulbosa, trifolia, hirſuta, flore albido.

OXALIS bulbosa, trifolia, foliïs linearibus, obtusis; flore externe rubro, interne carneo.

OXALIS bulbosa, foliïs simplicibus decaphyllis, flore flavo.

OXALIS bulboſa, trifolia, foliis linearibus, obtuſis; flore externe rubro, interne carneo.

Tab. XXVII. *Fig.* 1.

EX radice bulboſa, oblonga, fuſca, quae plurimas emittit fibras, concolores, rectas, vix diviſas, oritur haec planta caulibus erectis, ſemiſpithamalibus, ſimplicibus, glabris, viridibus, raro diviſis, uſque ad medium aphyllis; ubi folia progerminant anguſta, ſeſſilia, linearia, obtuſa vel bifida, nunc ſolitaria, plerumque tamen tria ſimul ex uno centro producta, raro in plura foliola diviſa & elongata, viridia, glabra, & uti apparet, ſucculenta: Flores in ſummo caulis eriguntur brevibus inſidentes petiolis magni, oblongi, externe rubentes, & quamdiu clauſi, convoluti quaſi ſunt, aperti vero expanduntur in quinque petala erecta, obtuſa, excavata. de fructu mihi non conſtat, & de hac planta nihil in *Cod. Witſ.* annotatum inveni. Oxys Africana, foliis tenuiſſimis in ſummitate caulis. *D. Sherard.* apud *Ray Tom.* 3. *p.* 598. cum hac noſtra eadem videtur, uti ex deſcriptione cum planta noſtra comparata facile patet. ut & Oxys Africana foliis anguſtiſſimis, dentatis. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 17. Lujula Capenſis, minima, Peucedani puſilli folio. *Petiv. Hort. ſicc. Ray Tom.* 3. *p.* 246. forte eadem eſt.

OXALIS bulboſa, anguſtifolia, caule folioſo, flore rubro.

Tab. XXVII. *Fig.* 2.

EX parvulis ſubrotundis, nigricantibus bulbulis varias fibrillas emittentibus oriuntur hae plantae plures ſimul, uti & in praecedente ſpecie, ſibi junctae & intricatae, quae folia gerunt per caules ſparſa anguſta, irregularia, tria tamen ſaepius conjuncta, viridia, craſſa, ſucculenta, glabra. Flos in ſummo caulis prodit ſolitarius, ſeſquiunciali petiolo nudo inſidens, mediae magnitudinis, coloris rubri, forma & ſtructura, uti in aliis ſpeciebus. de hac planta in *Cod. Witſ.* nihil annotatur. Sed quantum apparet, videtur mihi eadem cum illa, quae Oxys bulboſa, Africana, anguſtifolia, flore rubro, obſoleto, amplo vocatur a *Breyn. Prodr.* 2. *pag.* 80. & quae a *Plukn. in Almag. p.* 274. & in *Ray tom.* 3. *p.* 548. etiam nominatur, ut & Oxys Africana, foliis tenuiſſimis, flore amplo, verſicolore. *Plukn. Amalth. p.* 169. *Phyt. Tab.* 434. *Fig.* 5.

OXA-

OXALIS bulboſa, trifolia, hirſuta, flore albido.

Tab. XXVII. *Fig.* 3.

EX ſimplici oblongo bulbo, nigricante & plurimas intricatas fibrillas emittente oritur haec planta caule ſimplici, erecto, brevi, qui paulo ſupra terram varios emittit petiolos, bipollicares, in hac ſpecie hirſutos, flaveſcentes, ſucculentos, qui in extremo folia gerunt ternata, ſubrotunda, hirta, viridia, ſucculenta; Flores ex centro petiolorum eriguntur longioribus petiolis inſidentes ſolitarii, magni, quinquefidi, in hac ſpecie albentes. unde in *Cod. Witſ.* haec vocatur Acetoſa trifolia, flore albo. ubi annotatur quod in locis declivis creſcat, florens Julio: & quod ejus bulbus ab Hottentottis comedatur. Variae hujus differentes ſpecies in *Cod. Witſ.* & apud alios occurrunt, & exhibentur auctores, quae floribus nempe purpureis, carneis, rubris, atque in magnitudine florum & ſtructura foliorum etiam variant, ſed quae a *Joan. Commel.* in *Hort. Amſt. part.* 1. ut & a *Breyn. in Cent. p.* 46. jam ſunt exhibitae, quum vero omnes illae ſint glabrae, & haec planta hirſutie inprimis ab aliis differat, ut & floribus, ſimul & hanc hic exhibere conſtitui. quae ab *Hermann. in Catal. Pl. Afr. p.* 17. vocatur Oxys Africana, alba, foliis hirſutis, flore amplo, albo. atque eſt varietas illius, quae Oxys Africana, folio & flore parvo albente, radice Aſphodeli vocatur in *Par. Bat. Pr. pag.* 360. quod eſt Trifolium bulboſum, flore albo, Promont. Bonae Spei. *Bod. a Stapel. in Theophr. p.* 336. ut patet ex *Herman. Cat. Pl. Afric. p.* 17. & *Plukn. Almag. p.* 274. quae Acetoſella Africana, bulboſa, flore albo, minor dicitur. *Volk. Fl. Norimb. p.* 9.

OXALIS bulboſa, anguſtis, digitatis foliis, flore ſolitario, luteo.

Tab. XXVII. *Fig.* 4.

UTi praecedentes, & haec provenit ſpecies ex bulboſa nempe & oblonga radice, unde puſilla & humilis admodum haec planta paulo ſupra terram ſeſe attollit, ac folia producit communi ſolitario petiolo inſidentia, anguſta, linearia, acuta, viridia, glabra, ſeptem utcunque ſimul collecta, & quae foliorum Lupini more ſunt diſpoſita; Ex plantae medio ſeu centro flores proveniunt ſolitarii, uncialibus petiolis inſidentes, mediae magnitudinis, coloris lutei, forma & ſtructura ut aliarum ſpecierum. Oxilis Africana, flore luteo, minor. in *Cod. Witſ.* haec vocatur, ubi annotatur, quod creſcat locis ſaxoſis ſub fruticibus, florens menſe Julio, & *Oxys Africana*, heptaphylla, flore magno. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 17. ut & Lujula Capenſis, humilis, Lupini folio. *Petiv. Hort. ſicc. apud* Ray *tom.* 3. *p.* 246. cum hac eadem eſt. Huc & ſpectat Oxys Africana, bulboſa, floribus amplis luteis, foliis minimis, hirſutis. *D. Sherard* apud *Ray tom.* 3. *pag.* 549. quae eadem videtur, ac Oxys parva, Africana, flore magno, candicante, Lupini foliis argenteo ſericeis. *Plukn. Amalth. pag.* 164. cujus icon in *Phytogr. Tab.* 350. exhibetur, atque a noſtra planta hirſutie inprimis diſtinguitur.

OXA-

OXALIS bulboſa, foliis ſimplicibus decaphyllis, flore flavo.

Tab. XXVII. Fig. 5.

EX ſimplici, rotundo, fuſco bulbo, varias fibras concolores tenues emittente oritur haec planta ad medium circiter caulis aphylla, ubi folia ex uno centro quaſi producta ſimul proveniunt collecta, ſimplicia, anguſta, integra, acuta, viridia; e quorum medio flos erigitur petiolo bicunciali, rotundo, ſenſim dilatato inſidens ſolitarius, magnus, ex quinque petalis oblongis in ſummo leviter cordatis conſtans, coloris flavi. Peculiaris haec eſt planta, atque ex collectione D. *van der Stell.* hanc producimus, cujus apud auctores nullam inveni mentionem, dubitans tamen, an vera ſit Oxalis ſpecies.

OXALIS bulboſa, foliis anguſtis, ternis, hirtis, flore purpureo.

Tab. XXVIII. *Fig.* 1.

EX bulbis oblongis, glabris, nigricantibus oritur caulis ſimplex vix diviſus, ad medium circiter folia producens, quae ſunt minima, anguſtiſſima, terna, ſeſſilia, hirta, uti & tota planta; Folia haec per caulem diſperguntur, ſed in ſumma ejus parte denſiſſime admodum colliguntur, ut plantam ſpicatam fere referant. Flores, autem inter folia, & ex eorum quidem alis eriguntur longis petiolis inſidentes, ſolitarii, magni, purpurei, atque haec Oxys Africana, bulboſa, flore purpureo, caule folioſo. D. *Sherard* vocatur in *Ray tom.* 3.*p.* 599. ubi & breviter deſcribitur. ut & Oxys Africana, alba, foliis & floribus minimis. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 17. Cumque hac convenire videtur Luula Capenſis, bulboſa, Loti facie. *Petiv. Hort. ſicc.* apud *Ray tom.* 3. *app. p.* 246. ut & Oxys Africana, bulboſa, Dorychnii Monſpelienſium parvis foliis, floribus purpureis, amplis. *Plukn. Amalth. p.* 164. *Phyt. Tab.* 434. *Fig.* 7. Ex *Herbar. Witſen.* plantam noſtram cum duabus ſubſequentibus ſpeciebus inſculpendam curavimus.

OXA-


Pag. 70.
Tab. XXVIII.
Fig. 1.
Fig. 2.
Fig. 3.
OXALIS bulboſa, foliis anguſtis, ternis, hirtis, flore purpureo.
OXALIS radice longa, fibroſa, caulibus ramoſis, foliis ternis, anguſtis, florum petiolis longiſſimis.
OXALIS radice fibroſa, foliis triphyllis, cordatis, ſubtus incanis, florum petiolis longiſsimis.

OXALIS radice longa, fibroſa, caulibus ramoſis, foliis ternis, anguſtis, florum petiolis longiſſimis.

Tab. XXVIII. Fig. 2.

RAdix hujus plantae eſt longiſſima, repens, variis nodis & fibrillis ſimplicibus nigricantibus conſtans, quae caulem emittit ſimplicem, erectum, lignoſum, hirſutum, uti & tota planta eſt. Atque hic paulo ſupra terram in varios dividitur ramos folioſos, ſimplices, alterne utcunque provenientes. Qui folia gerunt plurima, tria ſimul collecta, & ex uno centro orta, in inferiore ramorum ut & caulis parte remotius locata, ſuperius autem denſe admodum congeſta. Folia haec ſunt anguſta, terna, integra, ſenſim dilatata & obtuſa, hirſuta. Ex horum alis flores eriguntur longiſſimis triuncialibus petiolis inſidentes, qui infra calicem ſquamulas duas acutas habent ſuppoſitas, atque calicibus lanuginoſis, profunde diſſectis continentur; Flores hi ſunt elegantiſſimi, ampli, caerulei, ſeu violacei, tubuloſi, in quinque petala ad unguem uſque diviſi. Elegans haec planta in *Ray tom.* 3. *p.* 549. *num.* 19. vocatur Oxys Africana, erecta, ramoſa, caulibus folioſis, floribus amplis, caeruleis, D. *Sherard.* ubi breviter & exacte ſequenti modo deſcribitur: „*Caules* erecti, firmi, lanuginoſi, uti eſt & „ tota planta, bipalmares, ſeu ſemipedales; ab imo ſtatim „ ramoſi, ramis longis, & ipſi cauli fere aequalibus, *foliis* „ veſtitis in eodem pediculo breviſſimo ternis, parvis, anguſtis, e quorum alis exeunt pediculi praelongi, binis plerum„ que foliolis oppoſitis donati, ſingulos geſtantes *flores* amplos,

„ cae-

„ caeruleos.“ Eandemque hanc puto, quae Oxys Africana, ramoſa, foliis anguſtis, incanis, flore purpureo vocatur ab *Herman. in Catal. Pl. Afric. p.* 17. Oxys Africana, hirſutis latioribus foliis, flore magno purpureo *Plukn. Amalth. pag.* 164. forte cum hac eadem eſt. uti & Lujula Capenſis, hirſuta, magno flore. *Petiv. Hort. ſicc.* apud *Ray tom.* 3. *p.* 246.

OXALIS radice fibroſa, foliis triphyllis, cordatis, ſubtus incanis, florum petiolis longiſſimis.

Tab. XXVIII. Fig. 3.

EMittit haec planta plurimas, ſimplices, longiſſimas, rectas, nigricantes fibras uno quaſi ex centro, atque paulo ſupra terram e caule ſimplici recto, viridi, umbellatim quaſi exeunt petioli teretes quatuor uncias circiter longi, virentes, qui in ſummo gerunt folia terna, glabra, viridia, inferius incana, profunde admodum cordata: Flores petiolis longiſſimis communibus, ſemiſpithamalibus, in ſummo diviſis in tot minores petiolos, quot flores proveniunt, nunc enim bini ſimul, aliquando & tres eodem ex puncto propriis ſuis petiolis inſidentes conſpiciuntur, qui ſunt minores, quam in praecedenti ſpecie, caeterum forma, ſtructura atque colore convenientes. Hujus & aliae varietates obſervantur, quae flores nempe gerunt plures collectos, atque etiam lutei aut flavi ſunt coloris, uti & in Collect. plantarum D. *van der Stell* eas ſervo, ſed quarum folia huic ſpeciei omnino ſunt ſimilia; unde eas non exhibeo atque illa in *Ray tom.* 3. *p.* 549. ſub *num.* 16, 17 & 18 comprehenduntur, quaeque huic proxime convenit, vocatur ibi Oxys Africana, bulbulis ſupra terram adnatis, foliis cordatis, glabris, floribus umbellatis, magnis; quae eſt Oxys Africana, bulbifera, foliis cordatis, floribus luteis, umbellatis *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 17.

OXALIS bulboſa, pentaphylla, & hexaphylla, floribus magnis, luteis, copioſis. Tab. XXIX.

EX radice longa, ſemiſpithamali, ſimplici, flaveſcente, pauciſſimas fibrillas emittente, & ad finem in bulbum ſimplicem oblongum producta oritur haec planta, plurimis ſimplicibus petiolis ſimul e terra umbellatim quaſi prorumpentibus, longiſſimis, viridibus, ſucculentis, qui in ſummo gerunt folia nunc quinque, nunc ſex ſimul collecta, & in orbem diſpoſita, quae ſunt glabra, craſſa, oblonga, integra, viridia, ſeſſilia, ſucculenta, acidoque ſucco repleta; Ex eadem cum foliorum petiolis ſede eriguntur longiſſimi caules ſpithamales, recti, glabri, ſimplices, qui in ſummo ſuſtinent flores plurimos laxe dependentes, quorum unus utcunque primum excreſcit in florem magnum, quinquepartitum, erectum, obtuſum, ad unguem cohaerentem, ut in reliquis hujus ſpeciebus, lutei coloris. in *Cod. Witſ.* haec perperam vocatur Acetoſa Africana trifoliata; ubi annotatur quod locis argilloſis creſcat, exhibeatque optimum ſuccum, inſtar Acetoſae acidum, qui ejus loco multum uſurpatur. Flores autem menſe Auguſto producit. Atque haec eſt Oxys Africana, flore magno, foliis pedem Caprinum referentibus, in ſummitate caulis. *Herm. Catal. Pl. Afric. p.* 17. Trifolium acetoſum, Africanum, cauliferum, floribus parvis, umbellatis, luteis, Capitis Bonae Spei. D. *Sherard* in *Ray tom.* 3. *p.* 549. ſub *num.* 18. propoſitum, hujus fori videtur.

OXA-



OXALIS *bulbosa, pentaphylla, & hexaphylla, floribus magnis, luteis, copiosis.*

OXALIS bulboſa, ſimplici caule, ad ſummum folioſo; flore luteo.

Tab. XXX. *Fig.* 1.


EX unico rotundo, ſcabro & fuſco bulbo, ad radicis longiſſimae, rectae extremum dependente oritur haec planta vix ramoſa & folioſa, quum in ſummo, ac longo, petiolo ſuperius folia aliquot proveniunt anguſta, linearia, acuta, viridia, glabra, ſucculenta. Flores petiolis ſemiſpithamalibus, rectis, ipſa ex terra prorumpentibus inſident ſolitarii magni, flavi, in quinque petala plana, oblonga, obtuſa diviſi, uti in prioribus ſpeciebus. Atque haec Oxilis Africana, flore luteo in *Cod. Witſ.* vocatur, ubi dicitur, quod locis ſaxoſis creſcat, florens Julio. Quae Oxys Africana foliis tenuiſſimis, flore amplo D. *Sherard* vocatur in *Ray tom.* 3. *pag.* 549. *num.* 15. ubi ejus deſcriptio noſtrae plantae ſatis conveniens breviter exhibetur. Lujula Capenſis anguſtifolia *Petiv. Hort. Sicc. apud Ray tom.* 3. *p.* 246. forte huic eadem eſt. ut & Oxys Africana, foliis anguſtis, incanis, radice magna bulboſa. *Herm. Cat. Pl. Afric. pag.* 17. Quae eſt Acetoſa bulboſa. *Stapel. in Theophr. p.* 336.

OXALI affinis planta aphylla, mammillaris, flore pentapetalo, calice biphyllo.

Tab. XXX. *Fig.* 2.

MIra haec planta foliis omnino deſtituitur, ſed eorum loco ex caudice craſſo lignoſo, fuſco, quae fibras emittit longas, carnoſos, vix diviſas, laterales pauciores dantes fibrillas oriuntur papillae erectae, acutae, craſſae, ſucculentae, glaucae, inter quas florum petioli eriguntur longi, ſemiſpithamales, ſimplices, non diviſi, ſed variis, quantum apparet, nodis diſtincti, qui in ſummo producunt, florem pentapetalum, in quinque petala oblonga, obtuſa, aequalia diviſum, intus ſtaminibus plurimis flaveſcentibus coronatum; Flos hic carnei coloris eſt, atque calice biphyllo continetur, qui quamdiu clauſus eſt inclinat, & coni acutiſſimi inverſi formam prae ſe fert; de fructu hujus plantae mihi non conſtat, quum figurae non ſit junctus, nec in Collect. D. *van der Stell*, unde hanc publici juris facimus, quidquam annotatum, inveni, uti nec ejus notitiam apud ullum indagare potui auctorem. Forte haec eſt ſpecies illius plantae, quae ab *Herman.in Catal. H. L. B. p.* 156. vocatur Ciſtus humilis aizoides, Africanus maritimus, flore rubello.

Tab. XXX.



OXALI affinis planta aphylla, mammillaris, flore pentapetalo, calice biphyllo.

Fig. 2.

Fig. 1.

OXALIS bulbosa, simplici caule, fere aphyllo; flore luteo.

JOANNIS BURMANNI,

Med. Doct. & in Horto Medico Amſtelaedamenſi Botanices Profeſſoris,

RARIORUM AFRICANARUM PLANTARUM,

Ad vivum delineatarum, Iconibus ac deſcriptionibus illuſtratarum

DECAS QUARTA.



J.C.Philips del. et fecit 1738.

AMSTELÆDAMI,

Apud HENRICUM BOUSSIERE.

MDCCXXXVIII.

VIRO NOBILISSIMO,

ET AMPLISSIMO,

NICOLAO WITSENIO,


J. U. D. SENATORI REIP. AMSTELAEDAMENSIS, HOC TEMPORE UNI JUDICUM, ET SAEPIUS EORUNDEM PRAESIDI

&c. &c.

OB PLURIMA IN SE ET PRAESERTIM IN HOC OPUS MERITA.

In grati animi pignus hanc quartam Decada dedicat

JOANNES BURMANNUS.





GERANIUM *spinosum, & nodosum, foliolis reflexis.*

PLANTARUM AFRICANARUM DECAS QUARTA.

GERANIUM ſpinoſum, & nodoſum, foliolis reflexis.

Tab. XXXI.

PEculiaris haec planta ex tenui ſimplicique radice, vix fibroſa oritur caule erecto, glabro, tereti, qui in ramos dividitur inaequales, nodoſos, ex meris quaſi nodis conſtructos, ex quorum centro ſpina provenit longiſſima, recta, acuta, nigricans. Foliola in ramorum nodorumque ſummo eriguntur utcunque bina oppoſita, ſeſſilia, anguſta, tenuique baſi ortum ſuum ducentia, ſenſim latiora, in ſummo latiſſima & obtuſa, ad oras autem ſinuoſa, & complicata, quae, quantum in depicta apparet, videntur glauca & ſucculenta, facillimeque decidentia: Flores in ramis alius naturae proveniunt, qui ſunt laxi, vix diviſi ex meris foliolis ſeu ſquamulis foliaceis reflexis conſtantes, quae in ſpinarum apice ſaepe ibi etiam videntur excreſcere. Inter has ſquamas flores proveniunt ſolitarii, magni, pentapetali, regulares, in quinque petala plana, aequalia diviſi, qui ſemina producunt longiſſima, roſtrata, uti in

aliis congeneribus. Ex collectione Domini *van der Stell* hanc ſingularem producimus plantam, a nullo alio, quantum novi, obſervatam. Miror, quod Geraniorum genus ampliſſimum ac elegantiſſimum in duas generales claſſes ſeu genera a religioſis & accuratiſſimis Syſthematicis nondum fuerit diviſum, quum ſpecies in his obſerventur plurimae floribus quam maxime inter ſeſe differentes, harum una claſſis gerit flores regulares roſaceos, pentapetalos, petalis aequalibus conſtantes, altera autem floribus irregularibus gaudet, quorum petala duo utcunque majora erecta inſtar galeae apparent, tribus reliquis vulgo minoribus inſtar barbae dependentibus, quae nota realis has magis diſtinguit quam in Malvaceis, Capitatis, Cichoraceis, aliisque generibus calix, ignobilior floris pars, ſeu fructus forma, ſitu, magnitudine varians congruentes caeterum ſpecies in alia diſtinguit genera, uti Clar. *Vaillant.* nimis accurate plantas Cichoraceas, aliasque in varia nova genera diſpeſſit, qui & Geraniorum ſpecies a florum numero, & ſitu ſeparari vult, & quae plures flores inſtar umbellae diſpoſitos gerunt, Geranoides vocat, ſed ut bene obſervat perſpicaciſſimus *Dillen. in Hort. Eltham. p.* 149. Ex numero florum alicui generi limites ponere difficile eſt, & in hoc quasdam ſpecies flores ſolitarios, alias gemellos, alias multo plures flores in eodem pediculo communi geſtare cuiqne notum eſt, &c. Dein addit memoratus auctor, ſi hoc in uno genere concedamus, oportet, ut & in aliis id admittamus, uti in Paralyſeos, Tunicae, Lychnidis, & aliis generibus, & ſic non erit finis novorum generum, &c.

Quum itaque Geraniorum genus ſit vaſtiſſimum, melioris doctrinae, & notitiae gratia illud in duas claſſes ſeu genera diſtinguemus, illasque ſpecies, quae floribus regularibus gaudent

dent, recepto jam nomine *Gerania* vocabimus, quae autem flores irregulares gerunt *Pelargonia* nominabimus a πελαργὸς Ciconia, ſicuti Gerania dicuntur a γέρανος Grus, quum ſemina roſtrata Ciconiae, vel Gruis roſtrum referant, uti *Dillen. in H. Elth. l. c.* nomen hoc primum propoſuit.

Videamus jam porro ſubſequentes ſpecies cum earum deſcriptionibus ac Synonymis.

GERANIUM tuberoſum, umbellatis floribus, folio multifido.

Tab. XXXII. *Fig.* 1.

E radice ſubrotunda, tuberoſa, cortice fuſco obſcuro obducta, atque unam alteramve fibram rectam ad finem modo diviſam emittente oritur haec planta humilis, quae ex ipſo bulbo foliorum ac florum petiolos producit hirſutos, ſubrotundos, pallide virentes, qui ad bipollicare ſpatium folia ſua gerunt multifariam ac eleganter diviſa variis multiplicibusque inciſuris diſtincta, inter hos florum petioli longiores, hirſuti itidem ac ſimili forma eriguntur, qui in eorum ſummo flores habent plurimos umbellatim collectos, ex quinque petalis oblongis, anguſtis, aequalibus, & in orbem diſpoſitis conſtantes, hi clauſi in eorum faſtigio coronula quinquefida rubente ornantur, qualis & in roſtrorum, ſeu apicibus ſeminum itidem conſpiciuntur, quae tenuiſſima ac plumoſa ſunt, *a* eodemque modo formantur, uti in reliquis hujus ſpeciebus. In *Cod. Witſ.* vocatur Geranium Africanum, flore purpureo, ubi dicitur, quod in communi ſolo creſcat, florens Septembri. Geranium Africanum, umbellatis floribus carneis, duabus maculis nigricantibus inſignitis, foliis tenuiſſimis radice rapacea D. *Sherard. apud Ray tom.* 3. *p.* 513. videtur idem.

GE-



Fig. 1.

Fig. 2.

GERANIUM tuberoſum, umbellatis floribus, folio multifido.

GERANIUM tuberosum, radicalibus foliis integris, caeteris pectinatis; floribus umbellatis.

GERANIUM tuberoſum, radicalibus foliis integris, caeteris pectinatis; floribus umbellatis.

Tab. XXXII. *Fig.* 2.

SImili modo, quo praecedens, & haec oritur ſpecies e bulbo oblongo, anguſto, ſquamoſo, variis fibrillis in terram ſeſe figente, atque folia primo e terra producta ſunt integra, oblongo-acuta, pollicaris latitudinis, reliqua vero ad unum latus dividuntur in ſegmenta anguſta aequalia, integra, inaequalis latitudinis in formam pectinis formata, e tenuiſſimo principio ortum ſuum ducentia. Ex horum centro eadem cum foliorum ſede erigitur petiolus ſemiſpithamalis, ſuperius ſeſe explicans umbellae in modum, in alios minores, aequales petiolos ſenſim dilatatos, qui ſinguli producunt unicum florem magnum, extenſum in quinque petala anguſta, oblonga, aequalia, carnei coloris, atque hi calicibus quinquefidis anguſtis, acutis continentur, qualis etiam communis major ſquamarum forma ſuboritur umbellae univerſali. Semina in Figura *Cod. Witſ.* non exhibentur & ſimpliciter Geranium minimum ibi vocatur.

GERANIUM fruteſcens, folio lato, dentato, flore magno, rubente.

Tab. XXXIII. *Fig.* 1.

FRuteſcens haec Geranii ſpecies ramos gerit craſſos, lignoſos, purpuraſcentes, ſcabros, unde folia erumpunt breviſſimis petiolis innixa, lata, craſſa, venoſa, ad oras dentata, viridia, alternata: Flores in ramorum ſummo proveniunt, nunc gemini, ſaepius tamen terni, elegantes, purpurei, qui petiolis ſemiuncialibus ſuſtinentur calicibus magnis, oblongo-acutis, pentaphylloidibus, hirtis, ſpadiceis, contenti, qui ſeſe aperiunt in petala quinque magna, oblonga, aequalia, unde flores hi regulares ſunt, & ſtaminibus magnis apicibus oblongis punicantibus ornantur, poſt hos ſequuntur fructus, uti in aliis hujus congeneribus, pericarpio magno, quinquefido concluſi, qui hirſuti admodum ſunt atque in roſtrum acutum deſinunt, & per maturitatem dehiſcentes ejiciunt ſemina quinque oblongo-acuta, fuſca, caudata & contorta, lanugine griſea obſita, uti in plurimis hujus ſpeciebus, & in figura marginali patet. a *Caſp. Commel. in Catal. MSto* vocatur Geranium Africanum, fruteſcens, Ilicis folio. in *Cod. Witſ.* Geranium Africanum, fruteſcens, flore rubro. ubi notatur, quod locis apricis lutoque ſabuloſo inprimis creſcat, florens Octobri.

Geranium Africanum, fruticoſum, Betulae folio. *Plukn. Mantiſſ. p.* 90. idem videtur.

GE-



Fig. 1.

GERANIUM *frutescens, folio lato, dentato, flore magno, rubente.*

Fig. 2.

GERANIUM *frutescens, folio ſubrotundo, dentato; flore purpureo.*

GERANIUM frutеſcens, folio ſubrotundo, dentato; flore purpureo.

Tab. XXXIII. *Fig.* 2.

SImili modo, quo praecedens, haec planta in fruticis formam excreſcit, caudice ſcabro adſurgens, qui ramos emittit plurimos in ſimiles minores multum diviſos, ac corticem ſcabrum, inaequalem itidem, ſquamis undique obſitum gerentes, ex hoc folia alternatim exeunt longioribus petiolis inſidentia, quae ſunt ſubrotunda minora multo quam in praecedente, Betonicae formam aemulantia, craſſa, venoſa, inſtar Ribeſiorum folia, ex horum alis, uti & in ramorum ſummo florum petioli eriguntur triunciales, ſuperius in tres minores petiolos ſeſe dividentes, atque ſub horum diviſione corona foliacea inſtar calicis ſuccingitur. Flores propriis ſuis petiolis inſident calicibus hirtis, pentaphylloidibus, oblongo-acutis contenti, coloris purpuraſcentis, poſt quos ſequuntur ſemina in roſtrum acutum, & longum extenſa, uti in priore ſpecie, cujus haec magis varietas, quam diverſa quidem ſpecies videtur, atque in *Herbar. Witſ.* hanc reperi plantam Geranii nomine tantum indigitatam, quam ex *Ruyſchii* plantis acceperam, nomine Geranii Africani fruteſcentis, Betonicae folio minore, flore magno, purpureo.

GE-

GERANIUM fruteſcens, incanum, foliis multifidis, flore magno, luteo, dentato.

Tab. XXXIV. *Fig.* 1.

ET haec fruteſcens Geranii ſpecies eſt, quae ramos emittit plurimos tenuiſſimos, multumque diviſos, horum folia multifariam, & pinnatim quaſi diviſa ſunt in pinnas ſimplices, rectas nunc bis, nunc ter iterum diſtinctas, Abrotani folia referentes, atque toti rami lanugine quaſi alba, & piloſa ſunt penitus obducti. Inter hos flores ſolitarii proveniunt longiſſimis hirtisque albicantibus petiolis inſidentes, magno calice quinquefido contenti, qui extenduntur in petala quinque magna, aequalia, ad oras inciſa ſeu dentata, coloris, quantum in noſtra planta apparet, flavi, atque hanc ex *Herbar. Witſ.* inſculpendam curavi, quam antea jam acceperam ex *Fred. Ruyſchii* plantis adjecto nomine Geranii Africani, flore luteo, amplo, foliis Abſynthii Pontici. Quod mihi videtur idem, ac Geranium Abrotani folio, flore ampliſſimo, ſemine duro, ſpinoſo. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 12.

PE-


Fig. 2.
PELARGONIUM frutescens, ramo=
ſum, foliolis plurimis, ſubrotundis.
Fig. 1.
GERANIUM frutescens,
incanum, foliis multifidis, flore
magno, luteo, dentato.

PELARGONIUM fruteſcens, ramoſum, foliolis plurimis, ſubrotundis.

Tab. XXXIV. *Fig.* 2.

A Geraniis has ſubſequentes ſpecies diſtinguimus, ob diſtinctionem ſupra notatam, ſcilicet quod hae omnes flores irregulares gerunt, quorum petala irregulari modo ſunt ſita, aliamque inde obtinent ſormam, & quum Geraniorum genus ſit numeroſiſſimum, ſi in duas claſſes ſeu cohortes illud diſtribuatur, ſpecies convenientes melius notari, atque ab addiſcentibus retineri poterunt. Harum primum nobis hic deſcribenda eſt rariſſima ac elegans planta fruticis forma proveniens, ramoſa admodum, atque in tenerrimos ramulos plurimum diviſa, quae ex tribus, quatuor pluribusve ſimplicibus quaſi pinnis componuntur, ex uno centro provenientibus, quibus foliola accreſcunt oppoſita, ſubrotunda, glabra, minima, fere ſeſſilia, haec ab utroque latere, quantum dignoſcere ex ruditer depicta Figura potui, ſex numero, bina iterum oppoſita collocantur, quae ad primum intuitumSantolinae quasdam ſpecies haud male referunt. Flores autem in ramorum ſummo proveniunt tres utcunque communi primum, dein propriis ſuis petiolis inſidentes, qui bina petala inſtar galeae habent ſurrecta, reliquis tribus, quod in omnibus ſubſequentibus obtinet, dependentibus, ſemina caeterum ut in Geraniorum omnium ſpecierum formantur, & in roſtrum longiſſimum acutum deſinunt. atque hanc ex Collect. D. *van der Stell* producimus, quam apud nullum notatam inveni auctorem.

PELARGONIUM rapaceum, bifolium, floribus maculatis.

Tab. XXXV. *Fig.* 1.

E radice oblongo-rotunda, rapacea, fuſca propullulant folia bina, lata, nervoſa, dentata, viridia, petiolis uncialibus inſidentia, e quorum ortu erigitur cauliculus teres, ſpithamalis, purpuraſcens, qui ſuperius ſe explicat in petiolos ſex ſeptemve ejusdem formae, qui ſquamulas plurimas oblongo-acutas purpuraſcentes coronae in modum habent ſuppoſitas, hi autem, quum ad juſtam magnitudinem excrevere, ſeſquiuncialis ſunt longitudinis, atque flores in ſummo gerunt pentapetalos irregulares, qui petala habent bina majora erecta, reliquis tribus anguſtioribus aequaliter dependentibus, ſunt autem incarnati coloris, atque in medio macula ſanguinea oblonga notati, poſt hos ſequitur fructus quinquecapſularis in longam gracilemque tubam erectus, ad extremum circinnatus, qui, quamdiu ſemina nondum matura, arcte coaleſcit, & ſimplex roſtrum elongatum refert. atque in Cod. *Witſ.* vocatur Geranium radice eſculenta, *Heyntame* incolis dictum. Geranium Africanum humile, tuberoſa radice, floribus ampliſſimis incarnatis, latifolium. *Herm. Par. Bat. App.* & *Cat. Pl. Afric. p.* 12. videtur idem.

PE-



PELARGONIUM *folio cucullato, ad oras ſinuoso, & variegato, flore ampliſsimo.*

PELARGONIUM *rapaceum, bifolium, floribus maculatis.*

PELARGONIUM *rapaceum, foliis ternis, trilobatis, & tridentatis, flore ſanguineo.*

PELARGONIUM rapaceum, foliis ternis, trilobatis, & tridentatis, flore ſanguineo.

Tab. XXXV. Fig. 2.

SImili modo ac praecedens, & haec ſuboritur planta e radice ſubrotunda rapacea, nigricante, quae ſtatim e terra folia ſua emittit in tres majores lobos anguſtos diviſa, quorum bini extremi breviores ſunt, medius longior excreſcens, tridentata conſtituit ſimul ſi conjuncta ſeu trifida folia, ac ſimul trilobata. Inter haec florum petiolus erigitur teres, ſpithamalis longitudinis, ſuperius in tres minores ſe dividens petiolos, qui coronam itidem foliaceam habent ſubjunctam. Flores bipollicaribus inſident petiolis, coloris ſanguinei. qui fructus gerunt eodem modo ac in reliquis. In *Cod. Witſ.* vocatur Geranium radice dulci eſculenta *Aree* incolis dictum. ubi & notatur, quod bulbus ejus multum comedatur, gratique ſit ſaporis, florens Septembri. Geranium radice rapacea, flore ſanguineo. *Petiv. Gazoph. Tab.* 84. *Fig.* 11. huic idem eſt. cum quo convenit Geranium Africanum, noctu olens, flore rubro, Anemones folio, anguſtiore. *Plukn. Phyt. Tab.* 186. *Fig.* 6. & Geranium Africanum, humile, radice Rapacea, foliis integris, & tenuiter diſſectis, glabris, floribus in umbellam diſpoſitis, carneis, ſtriatis. *Ray tom.* 3. *pag.* 513. ubi dicitur. In hujus plantae foliis natura mire ludit, alias enim integra, oblonga, acuta ſunt, alias minutiſſime diſſecta Chamaemeli inſtar. &c.

PELARGONIUM folio cucullato, ad oras ſinuoſo, & variegato, flore ampliſſimo.

Tab. XXXV. Fig. 3.

FRuteſcens haec videtur planta, quae ramos gerit ſimplices, vix diviſos, atque folia habent bina oppoſita petiolis ſeſquiuncialibus inſidentia, convoluta ſeu cucullata, craſſa, venoſa, ad oras ſinuoſa, & limbo purpureo ornata. Flores in ramorum ſummo proveniunt magni pentapetali, irregulares, galeati, qui petala gerunt bina majora, erecta inſtar galeae, tribus anguſtioribus inſtar labiorum dependentibus, hi elegantiſſimi carnei ſunt coloris, atque calicibus magnis in quinque ſegmenta acuta profunde diſſectis continentur; de fructu mihi non conſtat, & ex Collect. D. *van der Stell* hanc publici juris facimus; & videtur idem ac Geranium Africanum, folio anguloſo, circulo purpureo notato. *Herman. Cat. Pl. Afric. p.* 11.



Fig. 1.

Fig. 2.

PELARGONIUM *foliis ferulaceis, multifidis, flore rubello.*

PELARGONIUM *foliis ferulaceis criſpis, floribus carneis.*

PELARGONIUM foliis ferulaceis, multifidis, flore rubello.

Tab. XXXVI. Fig. 1.

EX plurimis capillaribus & nigricantibus fibris oritur caudex craſſus, ſeſquipollicaris, inaequalis, nigricans, qui in brachia dividitur, & folia emittit ſemiſpithamalis longitudinis in rachim communem extenſa, quae in varios lobos inſtar Ferularum, vel ſimilis generis dividuntur, atque hi vario modo denticulati ſunt. Caulis autem florifer ex eadem cum foliorum ſede oritur ſpithamalis fere, ſimplex, ſuperius diviſus in ſimiles minores, qui in breviſſimis petiolis flores pauciores, tres quatuorve ſimul gerunt collectos, qui pallide rubentes ſunt, ac ſtructura gaudent non uti in reliquis ſpeciebus, ſed petalo tantum erecto, & lato conſtat, cum quatuor anguſtioribus dependentibus petalis, poſt hos ſequuntur ſemina, tenuia, oblonga, in tenuem plumoſam caudam prorecta coloris ſpadicei. videtur mihi idem, ac Geranium tuberoſum, minus, Ferulaceis foliis. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 12. quae denominatio huic plantae, quam ex Collectione D. *van der Stell* poſſidemus, optime convenit.

PELARGONIUM foliis ferulaceis criſpis, floribus carneis.

Tab. XXXVI. *Fig.* 2.

SImili modo, quo praecedens, haec planta provenit caudice craſſo, carnoſo, viridi, qui ex ejus ſummo folia ac caules floriferos emittit, atque folia gerit longa, recta, ſemiſpithamali, craſſae rachi annexa, quae itidem in varios lobos, ſed tenuiores & criſpos eleganter dividuntur, atque utcunque oppoſiti locantur in inparem deſinentes: Flores in ramorum ſummo proveniunt longiſſimo petiolo communi, qui in ſimiles minores proprios dividitur petiolos, ſuffulti, atque ſingulari lato, ſubrotundo, erecto, petalo gaudent, tribus inferioribus anguſtioribus petalis dependentibus, coloris carnei ſeu albeſcentis, calix in hac ſpecie admodum extenſus eſt, & florum petala magnitudine, & forma adaequat, colore viridi ſeſe diſtinguens, quod & in praecedenti obtinet ſpecie, cum qua haec magnam habet affinitatem, diverſae tamen ſunt, & in Collect. D. *van der Stell* ſeparatim mihi obvenerunt. Forte haec eſt Geranium foliis Thpaſiae latifoliae D. *de Flines, Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 11.

PE-


Fig. 1.
PELARGONIUM
biſolium & biflorum.
Fig. 2.
PELARGONIUM
foliis quinqueſidis. &c.

PELARGONIUM bifolium & biflorum.

Tab. XXXVII. Fig. 1.

E radice craſſa nodoſa, nigricante, varias hinc inde fibras concolores emittente oritur haec planta humilis, ſeſquiſpithamalis, quae paulo ſupra terram bina emittit folia lata, craſſa, venoſa, viridia, variis inciſionibus diviſa, & denticulata, pediculo ſemiunciali inſidentia, quae in caulibus bina itidem ſimul progerminant. unde & bifolium hanc vocavimus. Flores in ramorum ſummo itidem bini ſimul proveniunt, propriis petiolis inſidentes, conſtantes binis erectis petalis duplo fere majoribus, reliquis tribus dependentibus, hic flos amoene rubet, & Geranium Africanum, flore purpureo in Collect. *van der Stell* vocatur, in qua duas hujus inveni varietates, hanc noſtram, quae latifolia eſt, alteram, quae foliis tenuius diſſectis, & multo anguſtioribus conſtat. Atque, quam hic exhibemus, videtur convenire cum Geranio Africano Anemones folio latiore flore ruberrimo. *Oldenl. Cat. Pl. Afric. p.* 30. quae a *Plukn. Phyt. Tab.* 186. *Fig.* 5. exhibetur. Geranium Africanum, tuberoſa radice, Anemones folio *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 11. cum noſtra idem videtur.

PE-

PELARGONIUM foliis quinquefidis, profunde diſſectis & dentatis, radice craſſa bulboſa.

Tab. XXXVII. *Fig.* 2.

RAdicem gerit haec ſpecies craſſam, ſubrotundam, bulboſam, inſtar Cepae, ac pugni fere magnitudinis, quae plurimas ſimul emittit fibras craſſas, rectas, vix diviſas, fuſcas, Cepaceas, unde caudex exſurgit craſſus, nodoſus, viridis, glaber, qui vario modo dividitur, ac folia inter nodos ſuos producit rachi longiſſimae adfixa, in quinque majores oblongos lobos diviſa, quae multifariam in minores iterum dividuntur inciſuras, folia autem in ramorum ſummo trifida, ac vix diviſa, minima excreſcunt, ubi flores eriguntur longiſſimis communibus petiolis ſuſtentati, qui in minores dividuntur petiolos proprios, unde ſingulus flos dependet conicus, ſi clauſus, apertus vero expanditur in quinque petala oblongo-acuta, quorum bina ſuperiora ampliora inſtar galeae ſunt erecta, tribus inferioribus minoribus quaſi labiatis dependentibus, coloris pallide virentis, atque his emarcidis ſuccedunt more congenerum quinque capſulae tenues, arcte ſibi junctae, efformantes ſimul mucronem longum, acutiſſimum, qui prae maturitate dehiſcit, unde proſiliunt ſemina quinque oblongo-acuta, ſpadicea, caudata, contorta, fuſca, lanugine pubeſcentia, ſuperius autem connexa cum ſtylo intermedio nutritivo, e cujus vertice ſemina haec dependent, uti in figuris marginalibus apparet.

In *Cod. Witſ.* vocatur haec planta Geranium Africanum, fruteſcens,

teſcens, Aquilegiae folio, majus. ubi annotatur, quod creſcat juxta rivulos ad pedes montium, & ſaepe inter fiſſuras rupium florens Septembri, cujus folia incipiente calore decidunt, ad altitudinem quatuor quinqueve pedum ſeſe attollens. a *Caſp. Commel.* in *Catal. MSto* ad *Cod. Witſ.* de hac dicitur. „ Non „ confundi debet cum Geranio Aquilegiae folio &c. *Hermann.* „ *Cat. Hort. L. B.* aut Aquilegiae folio, flore incarnato ruben- „ te *Pluknetii.* dum illud *Hermanni* ſit nodoſum, hoc non; „ item illud *Pluknetii* florem habeat incarnato - rubentem, hoc „ autem viridem.“ Sed licet rami floriferi ſint glaberrimi, planta ipſa, ſeu ejus caudex admodum inaequalis, & ex meris quaſi nodis conſtructus apparet, unde haec planta ſine nodis dici non poteſt; differt tamen quam maxime ab *Hermanni* planta in *H. L. Bat.* propoſita, uti ex collatis figuris unicuique examinanti patebit. atque *Pluknetii* planta in *Phyt. Tab.* 187. *Fig.* 1. exhibetur, cujus folia vix lobata, & trifida modo apparent, floresque in ſummitate tantum umbellatos quaſi gerens.

RAPUNTIUM folio longo, profunde dentato, florum petiolis longiſſimis.

Tab. XXXVIII. *Fig.* 1.

E radice longa, nodoſa, tenuiſſimas fibras emittente, nigricante, oritur haec planta caulibus rectis, lignoſis, purpuraſcentibus, unde folia erumpunt multiplicia, longa, profunde dentata, viridia, ſeſſilia, incerto ordine progerminantia. Flores ex eorum alis in ſumma caulis parte eriguntur longiſſimis petiolis, viridibus, fere ſpithamalibus inſidentes, ſolitarii, magni, calicibus quinquefidis contenti, oblongi, tubuloſi, ſuperius in quinque ſegmenta diviſi, tria ſuperiora majora aequalia, bina inferiora minima appendicis inſtar dependentia, coloris coerulei. Flores hi ſaepius inclinant, & inverſi ex petiolis dependentes minima ſua petiola inſtar cornuum erigunt, mirae formae hi flores ſunt ab aliis hujus ſpeciebus multum abludentes. Fructus in Schemate *Witſ.* non eſt notatus, vocatur autem Rapunculus Africanus, flore coeruleo in *Cod. Witſ.* ubi annotatur, quod locis arenoſis inprimis creſcat, flores producens Octobri. Rapuntium Aethiopicum flore coeruleo, galeato, foliis Coronopi. *Herm. Cat. Pl. Afric. pag.* 18. & *Breyn Cent. p.* 174. a noſtra planta, differt, quod flores in ſummitate gemellos gerat, qui ruditer ſatis ad plantam ſiccam ibi exhibentur, quum autem noſtri ad plantam vivam exactiſſime delineati ſint, meliorem, & veram eorum figuram aeri incidendam curavimus.

R A-


Pag. 98.
Tab. XXXVIII.
Fig. 1.
Fig. 2.
Fig. 3.
RAPUNTIUM tuberosum, foliis multifidis, floribus ſpicatis.
RAPUNTUIM foliis linearibus, acutis, floribus gemellis, polyanthos.
RAPUNTIUM folio longo, profunde dentato, florum petiolis longiſsimis.

RAPUNTIUM tuberoſum, foliis multifidis, floribus ſpicatis.

Tab. XXXVIII. Fig. 2.

EX radice tuberoſa, ſubrotunda, nigricante, varias fibrillas concolores emittente oritur haec planta caule erecto, bipedali, rotundo, purpuraſcente, cui folia adcreſcunt alternata, in plurimas tenuiſſimas acutas inciſiones vario modo inſtar Coronopi diviſa, laete virentia, quae caulem ubique inveſtiunt, ac inter flores ipſos proveniunt minori tamen forma ac ſimpliciter tantum diſſecta. Caulis autem florifer in varias ſpicas ſibi ſimiles dividitur, ac flores ſparſim profert ſeſſiles ex calice tenuiſſimo, acuto, pentapetalo dependentes, violacei coloris, magni, in quinque ſegmenta, acuta, aequalia diviſi, forma, & ſtructura, ut in reliquis hujus ſpeciebus. In *Cod. Witſ.* Rapunculus Africanus, tuberoſus vocatur, ubi dicitur, quod locis arenoſis creſcat, florens Septembri, atque quod ejus bulbus ab Hottentottis comedatur. hujus & altera ſpecies in *Herbar. Witſ.* occurrit longa, & ſimpliciter fibroſa radice conſtans, caeterum huic plantae ſatis ſimilis. Atque cum his Rapunculus galeatus, Artemiſiae folio, e Cap. Bonae Spei. *Petiv. Muſ. num.* 469. & *Ray tom.* 3. *App. p.* 239. forte idem eſt. ut & Rapunculus Africanus Coronopi folio, flore caeruleo, galericulato ramoſus. D. *Sherard. Ray tom.* 3. *p.* 386.


RAPUNTIUM foliis linearibus, acutis, floribus gemellis, polyanthos.

Tab. XXXVIII. *Fig.* 3.

PUſilla haec planta ortum ſuum ducit e radice longa, fibrilloſa, flava, quae unum alterumve emittit caulem ſimplicem, erectum, folioſum, foliolis integris, linearibus acutis undique ornatum, quae deſinunt, ubi caulis ſe explicat in ramos laxos, ſimplices, qui ſuperius tripartiti ſunt, ſinguli autem utcunque gerunt floſculos gemellos, tenuiſſimis, longisque petiolis inſidentes, qui ſunt galeati, ſegmentis acutis conſtantes caerulei coloris, atque hi vaſculum ſeminale producunt oblongo-acutum, triloculare, flaveſcens, ſemina continens oblongo-acuta, fuſca, glaberrima. Notandum autem eſt, quod ſub ſingula ramulorum diviſione bina aliquando terna ſupponantur foliola ejusdem cum caulis figurae & ſtructurae. a *Caſp. Commel. in Cat. MSto.* vocatur Campanula Africana, annua, parvis & luteis floribus; per vaſcula ſeminalia, quae talem gerunt colorem, inpoſitus, flores enim ipſi ſunt caerulei, ſeu violacei, in *Cod. Witſ.* dicitur Rapunculus Africanus, annuus. & quod in montium adſcenſu ſolo nigerrimo creſcat, florens Octobri. Rapuntium Africanum minus, anguſtifolium, flore violaceo. *Oldenl. Cat. Pl. Afric. p.* 32. huic videtur idem, ut & Campanula, annua, anguſtifolia, flore purpuraſcente, minor *ibidem. pag.* 26. Atque Rapunculus Africanus, humifuſus, flagellis longiſſimis, Thymi vel Polygoni foliis anguſtis. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 18.

RA-




Pag. 101.
Tab. XXXIX.
RAPUNTIUM foliis ſtellatis, ex alis floriferum.
Fig. 2.
Fig. 1.
RAPUNTUM foliis oblongis, dentatis, flore luteo ſpicato, flagellis procumbentibus.

RAPUNTUM foliis oblongis, dentatis, flore luteo ſpicato, flagellis procumbentibus.

Tab. XXXIX. *Fig.* 1.

PLurimi rami ſimul in hac ſpecie e terra prorumpunt, quae ortum ſuum habent e radice craſſa, longa, diviſa, nigricante, quae ad finem plurimas emittit fibrillas concolores, prorepentes, uti & ipſa haec planta prorependo ſeſe diffundit, ac per plurimos flagellos procumbentes etiam propagatur, hi ab ipſo ortu folia gerunt plurima, alternata, ſeſſilia, oblongo-acuta, crenata, viridia, quae in ramis floriferis rariora ſunt, atque hi e terra eriguntur lignoſi facti in ſummo flores producentes pauciores, ſpicae in modum collectos, qui in quinque ſegmenta inaequalia, oblonga, dividuntur, quorum tria ſuperiora majora ac galeata videntur, binis inferioribus minoribus in labiorum formam dependentibus, lutei ſeu flavi coloris. Poſt hos ſequuntur vaſcula ſeminalia teretia, ſuperius per maturitatem in quinque ſegmenta acuta dehiſcentia, pericarpio quadrifido contenta, atque haec intus continent ſemina minima, ſubrotunda, ſpadicea. uti in appoſitis Figuris notatur.

A *Caſp. Commel. in Catal. MSto* vocatur Campanula Africana, perennis, ſerratis foliis, floribus luteis. in *Cod.* autem *Witſ.* Rapunculus Africanus, perennis, flore luteo. ubi notatur, quod juxta rivulos humi ſerpendo creſcat, florens

Septembri. Rapunculus Africanus ramoſus, foliis dentatis, floribus Gladioli lacuſtris. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 18. *Petiv. H. Sicc. apud Ray tom.* 3. *p.* 248. idem videtur.

Hujus & alteram ſpeciem ex *Herb.* & *Cod. Witſ.* poſſideo flores caeruleos gerentem, & foliis anguſtioribus gaudentem, quae eſt Rapunculus Africanus, flore caeruleo galericulato, foliis anguſtis, dentatis. D. *Sherard.* apud *Ray tom.* 3. *p.* 384. Quam *Breyn. in Cent. p.* 175. exhibet, atque deſcribit.

RAPUNTIUM foliis ſtellatis, ex alis floriferum.

Tab. XXXIX. *Fig.* 2.

IN paludibus haec planta inprimis invenitur tetrum ſpirans odorem inſtar ſtercoris humani, ut notat *Cod. Witſ.* unde & Rapunculus, Africanus paluſtris, faetidus ibi vocatur; & Campanula Africana, fœtida paluſtris a *Caſp. Commel. in Catal. MSto.* Quae ea radice quam maxime fibroſa, repente, fuſca oritur caudice breviſſimo ſtatim ſeſe in plurimos ramos procumbentes diſpergente, qui foliis bipollicari ſpatio remotis quatuor pluribusve ſimul junctis, & ſtellatim oppoſitis gaudent, haec aliquando tria tantum, ſaepe & quinque ſimul apparent conjuncta, quae ſunt integra, anguſta, oblongo-acuta, atroviridia; ex horum alis flores nunc ſolitarii ſaepius bini oppoſiti oriuntur petiolis tenuiſſimis ſemiuncialibus inſidentes, qui in quinque ſegmenta oblonga dividuntur, coloris flavi, fructus eſt oblongo-acutus, trilocularis, ut in aliis hujus ſpeciebus. Hujus apud nullum auctorem ullam invenire potui mentionem. Rapunculus forte Capenſis, floſculis exiguis, Knauwel folio *Petiv. H. Sicc. apud Ray tom.* 3. *p.* 248. huc pertinere videtur.

RAPUNTIUM tuberoſum, folio oblongo, integro, flore pendulo, caeruleo.

Tab. XL. Fig. 1.

EX radice craſſa, tuberoſa, oblonga, fuſca, plurimas laterales fibras producente oritur haec planta, quae quam primum e terra provenit plurimos emittit flagellos procumbentes, ſimplices, non ramoſos, quibus folia incerto ordine adcreſcunt ſeſſilia, oblonga, integra, venoſa, viridia, uncialis magnitudinis. Flores ſolitarii proveniunt ultra flagellorum dimidium in ſumma nempe parte, e petiolis longis dependentes, galeati, tribus ſuperioribus petalis majoribus, binis inferioribus minimis inſtar appendiculorum dependentibus, coloris elegantiſſime caerulei. Hujus plantae duae ſunt varietates, altera nempe folia gerit ſubrotunda crenata ſeu dentata, caeterum convenientes. Illam ex Collect. D. *van der Stell* poſſideo. & videtur convenire cum Rapunculo Capenſi, Speculi Veneris folio. *Petiv.* apud *Ray tom.* 3. *app. p.* 248. quae folia dentata habet in *Cod. Witſ.* eleganter depicta eſt, vocaturque ibi Rapunculus Africanus, minor, flore caeruleo. & eſt Rapunculus Africanus, flore caeruleo, galericulato, folio ſubrotundo, crenato. D. *Sherard* apud *Ray tom.* 3. *p.* 384.

CA-



Fig. 1. RAPUNTIUM tuberoſum, folio oblongo, integro, flore pendulo, caeruleo.

Fig. 2. RAPUNTIUM foliis subrotundis, hirtis, flore ex alis solitario.

Fig. 3. PINGUICULA foliis oppoſitis, dentatis, floribus corniculatis.

RAPUNTIUM foliis ſubrotundis, hirtis, flore ex alis ſolitario.

Tab. XL. Fig. 2.

HUmilis haec videtur planta, quae ex radice craſſa lignoſa ſuum habet ortum, atque ramulis alternis vix diviſis lignoſis quaſi erigitur, quae foliola plurima gerunt ſubrotunda, alterna Thymo vel Serpillo paulo majora, ſed laeviter dentata, & ab omni parte hirta admodum, ex horum alis flos egreditur ſolitarius, longo ſatis petiolo inſidens in quinque anguſta, acuta ſegmenta diviſus, coloris caerulei ſeu violacei. in *Herbar. Witſ.* nullo adjecto nomine hanc plantam inveni, quae videtur eadem, ac Rapunculus galeatus, Aethiopicus, caeruleus, hirſutis & ſubrotundis, crenatis foliolis. *Plukn. Almag. pag.* 316. & Rapunculus Capenſis foliis parvis, cirroſis *Petiv.* apud *Ray app. p.* 248. ut & Rapuntium Africanum, galeatum, foliis oblongo-rotundis, dentatis, villoſis. *Ray tom.* 3. *p.* 385.

PINGVICVLA foliis oppoſitis, dentatis, floribus corniculatis.

Tab. XL. *Fig.* 3.

JUxta flumina inprimis haec planta locis depreſſis ſabuloſis invenitur & creſcit, vocaturque ab incolis *Penſees*, atque floret menſe Septembri, ut notat *Cod. Witſ.* Quae ex radice cinerea, fibroſa, brevi, ſingula fibra in duas fibrillas aequales deſinente, oritur caule ſimplici, erecto, rotundo, viridi, unde ad radicem quatuor erumpunt folia majora, digitum minorem fere longa, ſemipollicem lata, oblonga, crenata, crenis latis, obtuſis, paucis, ad ſingulas oras modo quatuor notata, ſeſſilia, bina paria oppoſita, quae ad caulem pari ſimplici, & raro, ſimili ſitu apparent, & multo minora ſunt, acute deſinentia. Flores in ſummo caulis proveniunt gemini, oppoſiti, petiolis ſemiuncialibus inſidentes, anomali, monopetali, utrimque patentes, qui galeati videntur, & corniculis a poſtica floris parte aequalibus, reflexis, dependentibus gaudent, calcari oblongo-acuto, reflexo ornati, & quaſi bilabiati, caeterum Orchidum ſtructuram haud male referunt hi flores, vel potius Pinguiculae, *Cluſii in Hiſt. p.* 310. deſcriptae, unde & eo reduximus hanc plantam, atque hujus alteram ſpeciem, quae in *Cod. Witſ.* etiam occurrit; *Pluknet. in Phytogr. Tab.* 234. *Fig.* 5. exhibuit, & vocatur ipſi Violae ſurrectae affinis, Pinguiculae facie, Prom. Bonae Spei ex Cod. Compt. Flores autem imperfecte admodum ibi ſunt delineati. Noſtrae vero plantae flores proxime conveniunt cum Cypripedii flore, a *Linnaeo in Fl. Lapp. Tab. XII.* exhibito, quo & forte reduci poſſet.

JOANNIS BURMANNI,

Med. Doct. & in Horto Medico Amſtelaedamenſi Botanices Profeſſoris,

RARIORUM AFRICANARUM PLANTARUM,

Ad vivum delineatarum, Iconibus ac deſcriptionibus illuſtratarum

DECAS QUINTA.



AMSTELÆDAMI,
Apud HENRICUM BOUSSIERE,

MDCCXXXIX.

NOBILISSIMO ET GRAVISSIMO

V I R O,

ANTHONIO THIERENS,

J. U. D. URBIS DELPHENSIS SENATORI,

ET QUAESTORI REDITUUM EX

AGRO HEUSDANO OLIM COMITI

HOLLANDIAE ASSIGNATORUM

FIDELISSIMO

AVUNCULO SUO PLURIMUM

VENERANDO,

In obſequii cultum

hanc quintam

Decada offert

JOANNES BURMANNUS.





Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 1.

RAPUNCULUS fruticoſus foliis nervoſis, acutis, floribus in ramulorum summo.

RAPUNCULUS foliis nervoſis linearibus, floribus argenteis, non galeatis.

RAPUNCULUS foliis inferioribus multifidis, ſuperioribus ſimplicibus, dentatis, floribus ſpicatis.

PLANTARUM AFRICANARUM DECAS QUINTA.

RAPUNCULUS foliis inferioribus multifidis, ſuperioribus ſimplicibus, dentatis, floribus ſpicatis.

Tab. XLI. *Fig.* 1.

FRuteſcens haec planta videtur, quum ejus rami ſint valde lignoſi, craſſi, longi, ſuperius in minores ſimplices diviſi, quorum folia in majoribus ſunt multiplicia, ac multifariam diviſa, ſeſſilia, anguſta, dentata, ſcabra, & laeviter hirſuta, in minoribus ramis folia ſunt anguſta, non diviſa, oblongo-acuta, dentata, in horum ramorum ſummo flores eriguntur ſpicati, in ſpicam denſam, longam, hirſutam cum ſquamulis foliaceis, ſuppoſitis collecti, qui ſunt minimi, anguſti, tubuloſi, ſuperius quantum per examen mihi apparuit in tria anguſta oblonga aequalia ſegmenta diviſi, cum duobus minoribus appendicibus, ac quatuor minimis tubulis, duobus longioribus, duobus brevioribus exiſtentibus, qui an florum ſtamina fuerint non bene diſtinguere potui, quidquid

ſit, flos hic mirus & notabilis eſt, uti & tota planta ſingularis ac rariſſima eſt, quam ex *Herbar. Witſ.* elegantiſſimis ac rariſſimis Africanis plantis referto, publici hic juris facimus. Atque mihi videtur eſſe Rapunculus Africanus, flore caeruleo, galericulato, foliis anguſtis dentatis D. *Sherard* in *Ray tom.* 3. *pag.* 384. *num.* 17. vel potius Rapunculus Africanus, Coronopi folio, flore caeruleo galericulato, ramoſus. D. *Sherard, ibid. p.* 386. *num.* 47.

RAPUNCULUS fruticoſus foliis nervoſis, acutis, floribus in ramulorum ſummo.

Tab. XLI. *Fig.* 2.

FRuticoſa haec itidem planta eſt, quae ramos habet lignoſos, rotundos, foliis creberrimis undique veſtitos, atque haec ſunt anguſta, aequalia, oblongo-acuta, nervoſa, ſuperius viridia, inferius pallidiora, Rorismarini foliis ſimillima, quae in ramulorum ſummo ſunt minora, ac creberrima, inter quae flores eriguntur petiolis curtis, ſed firmis inſidentes, qui ſunt caerulei ſeu violacei, galeati, ſuperius in tria majora ſegmenta aequalia, oblonga diviſi, inferius in bina minora appendicis forma, uti in pluribus hujus generis ſpeciebus. atque hujus plantae videntur quaedam varietates eſſe, quae ſcilicet folia gerunt latiora & anguſtiora obtuſiora & acutiora. Quam hic exhibeo, mihi videtur eſſe Rapunculus flore caeruleo, galericulato, Rorismarini folio anguſtiore. D. *Sherard in Ray tom.* 3. *pag.* 384. *num.* 14. ubi annotatur „ Planta eſt „ fruticoſa, erecta, in ramos diviſa, foliis undique cinctos, „ crebris, anguſtis, acutis, uncialibus. In ſummis ſurculis „ inter folia exeunt flores plures coacervati, oblongi, medio- „ cres. Locus eſt *Promont. Bonae Spei.* ut & Rapuntium Aethiopicum, violaceo, galeato flore, foliis Pinaſtri *Breyn. Cent. p.* 173. *Icon.* 87. ſed flores inperfecti delineati ſunt. atque hujus ſpeciei videtur etiam eſſe Rapuntium Aethiopicum, violaceo galeatò flore foliis Pinaſtri. D. *Sherard* in *Ray tom.* 3. *p.* 385. *num.* 31. ubi brevem vide deſcriptionem.

RAPUNCULUS foliis nervoſis linearibus, floribus argenteis, non galeatis.

Tab. XLI. *Fig.* 3.

RAmi hujus fruticis tenerrimi ſunt, ſcabri, anguloſi, purpuraſcentes, quibus folia adcreſcunt incerto ordine plurima, denſe admodum congeſta, anguſta, acutiſſima, linearia, craſſa, nervoſa, Rorismarini foliis quodammodo vel potius Polygalae aemula, haec in ramorum ſummo minima ſunt, ubi ſpatha, ſeu capitulum foliaceum progerminat, quod conſtat ex plurimis latis, planis, acutis, membranaceis foliolis, quae in medio nervum craſſiſſimum gerunt ac protuberantem, quae videntur nil niſi foliola caulis eadem, ſed ora membranacea extenſa, inter haec flores proveniunt plurimi, longi, anguſti, tubuloſi, hirſuti, albicantes, in quatuor majora oblonga, aequalia, extenſa, ſegmenta diviſi, calice & ſtaminibus albicantibus ſericeis quantum apparet, ornati, de fructu mihi non conſtat, unde incertum ad quodnam proprie haec planta pertineat genus, quum autem antecedenti, exceptis floribus, ſit ſimillima, huic ſubjunximus, ni forte Thymeleae potius ſit generis; alias videtur eſſe Rapunculus Aethiopicus, Polygalae facie, floribus argenteis, nongal eatis, *Plukn. Mantiſſ. p.* 160. & *Ray tom.* 3. *p.* 385. *num.* 27. ſi ad Thymaeleam, Thymaelea Africana, foliis Rorismarini minoribus, floribus Jaſmini. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 23. & Thymaelea Africana Rorismarini folio, floribus longioribus. *Oldenl. Tournef. Inſt. p.* 594. ut & Rorismarini foliis frutex Africanus, floribus in ſummitate ramulorum, D. *Sherard.* an Thymaeleae ſpecies. *Ray tom.* 3. *Dendr. p.* 55. *num.* 47.

RA-


RAPUNCULUS, foliis anguſtiſsimis, dentatis, floribus umbellatis.
Fig. 1.
Fig. 2
PEDICULARIS foliis anguſtiſsimis, dentatis, floribus spicatis.
MELAMPYRUM Africanum, spicatum, foliis anguſtiſsimis, dentatis. Herm. Cat. Pl. Afric. p. 16.
Fig. 3.

RAPUNCULUS, foliis anguſtiſſimis, dentatis, floribus umbellatis.

Tab. XLII. *Fig.* 1.

EX radice longa, lignoſa, repente, laterales ſimiles fibras emittente oritur haec planta, cujus caules ſinguli ſunt erecti, bipedales, craſſi, lignoſi, ſcabri, ſimplices, non diviſi, qui folia in inferiore eorum parte habent creberrima, anguſtiſſima, dentata, acuta, ſeſſilia, ſimplicia, haec, quo magis ad ſummum accedunt, ſunt minora, ac rariora, ubi flores colliguntur plurimi, in umbellas parvas, laxas, aequales diſpoſiti, atque hi ſunt parvi, tubo anguſtiſſimo, longo, ſuperius in tria petala ſeu ſegmenta parva oblonga, inaequalia expanſo, quorum petalum medium eſt longius, duo lateralia aequalia, bina autem inferiora ſunt minima, anguſta, aequalia. de fructu mihi non conſtat; ſed videtur eſſe Rapunculus Africanus, Coronopi foliis, altiſſimus non ramoſus, *D. Sherard.* in *Ray tom.* 3. *pag.* 384. ubi annotatur „ Caulis inferiori parte foliis „ creberrimis amicitur, ſumma nudus eſt, flores plures ſuſ- „ tinens, velut in umbellam parvam diſpoſitos. & forte eſt Rapunculus Africanus, altiſſimus, floribus in ſummitate, foliis crenatis. *Herman. Cat. Pl. Afric. p.* 18.

PEDICULARIS foliis anguſtiſſimis, dentatis, floribus ſpicatis.

Tab. XLII. *Fig.* 2.

FRutex hic ramos gerit laxos, longiſſimos, ſimplices, in ſimiles minores diviſos, rotundos, purpureos, qui folia dant ſeſſilia, longiſſima, tenuiſſima, dentata, ex quorum alis plura minora, ſimilia proveniunt, quae Abrotano campeſtri ſimillima ſunt, in ramorum ſummo flores proveniunt in longiſſimam ſpicam erecti, qui ſquamulas habent ſuppoſitas, anguſtas, acutas, minimas, ex his flores eriguntur flaveſcentes, in medio linea oblonga lata punicea inſigniti, ſolitarii, tubuloſi, perſonati, irregulares, monopetali, calice oblongo, ventricoſo inſidentes, qui capſulam ſeminalem dant oblongam acuminatam, bilocularem, ſemina, quantum videtur, compreſſa oblonga continentem. in *Herb. Witſ.* hanc plantam innominatam inveni, quam puto eſſe, quae a *Pluknet. in Mantiſſ. pag.* 73. vocatur Euphraſiae affinis Aethiopica, Abrotani campeſtris folio, cauliculis ſubrubentibus. & *Ray tom.* 3. *p.* 401. *num.* 12.

MELAMPYRUM Africanum, ſpicatum, foliis anguſtiſſimis, dentatis. Herm. Cat. Pl. Afric. p. 16.

Tab. XLII. Fig. 3.

FRuteſcens itidem haec videtur planta, quum ramos gerat longiſſimos, bipedales, lignoſos, rotundos, purpuraſcentes, qui foliis undique veſtiti ſunt creberrimis, ſine ordine poſitis, quae ſunt longa, anguſtiſſima, dentata, in ramorum ſummo rariora, ac breviora, ubi ſpicae floriferae eriguntur biunciales, ſimplices, non diviſae, ſquamulis foliaceis inbricatis conſtantes, inter quas flores eriguntur parvi, tubuloſi, irregulares, forma & ſtructura huic generi convenientes, qui a ſyſtematicis accurate definiuntur, atque hanc plantam a nullo niſi a ſolo *Hermanno* denominatam, ac in loco natali obſervatam, inveni, quam ex *Herbar. Witſ.* hic producimus, & cum publico communicamus, quantum videtur, rariſſimam.

CHA-

CHAMAELEA foliis oblongis nervoſis, floribus ex foliorum alis provenientibus.

Tab. XLIII. Fig. 1.

FRutex hic ramos gerit laxos, longos, bipedales, ſimplices, in ſummo tantum in minores ſimiles diviſos, qui ſunt lignoſi, ſcabri, rotundi, cortice purpuraſcente obducti, atque hi folia ſua gerunt alternata, ſeſſilia, ſeſquiuncialia, oblonga, craſſa, nervoſa, Rorismarini foliis aemula, ex horum alis flores eriguntur, petiolis curtis, & craſſis, ſubulatis inſidentes, qui calicem habent magnum expanſum quadripartitum, petalis florum duplo longiorem, inter hujus ſegmenta floris petala eriguntur brevia, ſubrotunda, & quantum apparet, herbacea, quae ad unguem ſtamina minima gerunt, in floris autem fundo piſtillum exſurgit ſubulatum, in ſummo trifidum, fructus vero eſt, capſula ſubrotunda, glabra, ſtriata, trilocularis & quadrilocularis aliquando, tricocca plerumque, quae ſemina continet oblongo-rotunda, nigra, ſplendentia, hilo ſpadiceo notata. Atque hanc cum ſubſequentibus in *Herbar. Witſ.* inveni, quae ab *Herman. in Catal. Pl. Afric. p. 6.* vocatur Chamaelea Africana, Rorismarini foliis rarioribus, floribus ex foliorum alis erumpentibus.

CHA-



Fig. 2. CHAMAELEA foliis anguſtis, ſubtus incanis, floribus capitatis muſcoſis.

Fig. 1. CHAMAELEA foliis oblongis nervoſis, floribus ex foliorum alis provenientibus.

Fig. 3. CHAMAELEA foliis latis, oblongis, floribus ex alis, & in ſpicam erectis.

CHAMAELEA foliis anguſtis, ſubtus incanis, floribus capitatis, muſcoſis.

Tab. XLIII. *Fig.* 2.

INſtar antecedentis & hic excreſcit frutex, ramos gerens ſpithamales, erectos, lignoſos, in minores ſimplices diviſos, qui corticem habent purpuraſcentem lanugine alba obductum, uti & folia ſubtus lanuginoſa & admodum incana ſunt, quae breviſſimis petiolis & fere ſeſſilia ramis apponuntur, ubi ſquamulas parvas acutas habent ſuppoſitas, folia haec alternatim utcunque proveniunt irregulari tamen ordine ſita, ſunt autem anguſta, oblongo-acuta, craſſa, nervoſa, viridia, ſubtus incana: Flores in ramorum ſummo locantur plurimi in caput muſcoſum collecti, coronati, quantum per examen in ſicca planta inſtitutum obſervare potui, capitulo lanuginoſo, anguſto, ſingulo in ſex ſegmenta anguſtiſſima acuta lanugine fimbriata diviſo, quorum forte tria ad calicem, tria vero ad florem pertinent. fructus autem eſt capſula ſubrotunda, nigricans, rugoſa, trilocularis, tricocca, ſemina glabra, nigra, ſplendentia, oblonga continens, hilo griſeo notata. Videtur eſſe Chamaelea Africana tricoccos & tetracoccos, Taxifolia, fructu nigro ſummis ramulis, plumulis, ſive villoſa caeſarie coronato. *Plukn. Mantiſſ. pag.* 45. & *Phyt. Tab.* 342. *Fig.* 3. ubi fructus cum planta eleganter ſatis exhibentur. quam *Caſp. Commel.* ſimilem putat plantae, quae ipſi in *Praelud. Botan.* Alaternoides Afric. Roriſmarini latiori, & piloſiori folio, quaeque eſt Ricinus Afric. tomentoſus, flore rubro. *Cod. Witſ.* ſed quae

Q mul-

multum a *Pluknetii*, & noſtra planta differt. Atque haec a *Breyn in Cent. p.* 18. vocatur Sanamundae tertiae Cluſii affinis, foliis Polii Capitis Bonae Spei quae *Pluknetio in Mantiſſ. p.* 179. eſt Thymaelea Africana Polii anguſtioribus foliis, floribus in capitulo ſummo caulis glomeratis. hujus & altera ſpecies eſt foliis minoribus multoque anguſtioribus conſtans, caeterum conveniens, unde eam non deſcribo, nec exhibeo, utraeque vero in *Herbar. Witſ.* continentur.

CHAMAELEA *foliis latis, oblongis, floribus ex alis, & in ſpicam erectis.*

Tab. XLIII. *Fig.* 3.

FRuteſcens & haec planta eſt, quae ramos gerit ſimplices, ſpithamales, rotundos, virides, quibus folia alternatim, irregulari tamen ſitu ſeſſilia inſident, lata, oblonga, craſſa, venoſa, viridia, ſplendentia, ex horum alis flores eriguntur ſolitarii, qui & in ſpicam etiam terminantur, ſunt autem ſeſſiles, herbacei, & quantum per examen obſervare potui hexapetali, tribus forte calicis, tribus vero floris petalis conſtantes, quum aequalis ſint magnitudinis, ejusdemque coloris, in ſicca planta haud ita facile diſtingui potuit; de fructu mihi non conſtat, & in *Herbar. Witſ.* vocatur Ricinus flore viridi, quae *Herman.* in *Catal. Plant. Afric.* videtur eſſe Chamaelea Africana, floribus herbaceis.

CHA-



Fig. 2.

CHAMAELEA *foliis ex uno centro plurimis, oblongis, villosa.*



Fig. 1.

CHAMAELEA *folio subrotundo, subtus incano floribus in capitulum collectis.*



Fig. 3.

CHAMAELEA *piloſa, angustissimo folio, capite lanuginoſo.*

CHAMAELEA *folio ſubrotundo, ſubtus incano floribus in capitulum collectis.*

Tab. XLIV. Fig. 1.

FRutex hic ramos gerit craſſos, longos, ſeſquiſpithamales, rotundos, quorum cortex in adultioribus ſcaber eſt, purpuraſcens, in junioribus autem lanuginoſus, & fuſcus, atque hi folia gerunt nunc oppoſita, nunc vero alternata, incerto autem ordine ſita, quae ſunt ſubrotunda, Buxi foliis ſimillima, craſſa, venoſa, ſuperius viridia, glaberrima, & ſplendentia, inferius autem incana, & laevi lanugine obſeſſa, curtis & craſſis petiolis, hirtis inſidentia. Flores in ramulorum ſummo colliguntur in capitulum, ſubrotundum, parvum, ex decem utcunque floſculis compoſitum, qui ſunt parvi quantum apparet, pentapetaloides, in quinque parva oblonga, aequalia ſegmenta diviſi, coloris, uti videtur, herbacei. De fructu mihi non conſtat, atque hanc in *Herbar. Witſ.* inveni, quae forte eſt Chamaelea Africana, foliis ſubrotundis. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 6. & Chamaelea Africana Buxi folio. *Ray.* quo nomine hanc olim, neſcio a quo accepi, ut & Thymelaea forte Capenſis Buxi foliis, floribus luteis, denſe ſpicatis *Petiv. Hort. Sicc. in Ray tom.* 3. *app. p.* 249.

CHAMAELEA *foliis ex uno centro plurimis, oblongis, villoſa.*

Tab. XLIV. Fig. 2.

FRuticoſa itidem haec planta eſt, quae ramos gerit craſſos, firmos, admodum lanuginoſos, uti & tota planta eſt, atque haec alternatim ex ramorum internodiis folia gerit oblonga, obtuſa, plana, villoſa, plurima ex brevi, firmoque pediculo ſimul erumpentia, Rorismarini foliis quodammodo aemula, atque haec videtur eſſe Chamaelea Africana Rorismarini foliis majoribus lanuginoſis. *Herm. Cat. Pl. Afric. p. 6.* de floribus autem ac fructu hujus plantae mihi non conſtat, quum in *Herbar. Witſ.* qualis exhibetur, inter Chamaeleae ſpecies, floribus ac fructu viduam eam reperi, apud alios autem auctores nullibi ejus mentionem invenire potui.

CHAMAELEA piloſa, anguſtiſſimo folio, capite lanuginoſo.

Tab. XLIV. Fig. 3.

PIloſus admodum hic frutex eſt, qui totus quantus pilis undique tenuiſſimis lanuginoſis, & maxime quidem in ejus vertice, ubi flores & ſemina progerminant, eſt obſitus, ramos autem gerit laxos, ſimplices, non diviſos, rotundos, purpuraſcentes, qui folia habent anguſta, acuta, ſaepe reflexa, ac ſubtus incana, alternatim poſita, ſeſſilia, Roſmarini foliis quodammodo aemula, ſed anguſtiora & acutiora. Flores in ramorum ſummo colliguntur in caput globoſum collecti, inter ſquamulas plumoſas lanuginoſasque fere abſconditi, qui fructus dant ſubrotundos, cortice nigerrimo obductos, triloculares, tricoccos, uti in reliquis congeneribus. atque haec videtur eſſe Chamaelea Africana, folio anguſtiſſimo, capite globoſo, alopecuroide. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 6. qualem *Alb. Seba.* in *theſ. ſuo* exhibuit, quae ipſi dicitur Ricinus (potius Ricinoides) arboreſcens Afric. tormentoſis capitulis, Roſmarini foliis, flore rubro majore *Tab.* 23. *Fig.* 4 & 5.

Atque haec proxime convenit cum illa planta, quae Ricinus Africana, tomentoſa, flore rubro in *Cod. Witſ.* vocatur. & eſt Chamaelea Africana, fruteſcens, flore rubeſcente ex plumoſo capite foliis Roriſmarini minoribus. *Herm. Cat. Plant. Afric. p.* 6. quam *Caſp. Commel. in Praelud. Botan. Fig.* 13. exhibet nomine Alaternoidis Africanae, Roriſmarini folio latiore, cujus folia ſunt latiora, ac obtuſa, quum noſtrae ſunt multo anguſtiora atque acuta; ramulorum caput etiam magis lanuginoſum.

CROTON foliis craſſis, venoſis, venis rubentibus.

Tab. XLV.

ELegans haec planta ramos gerit craſſos, lignoſos, longos, bipedales, ſcabros, fuſcos, qui folia ac minores ramos emittunt incerto ac irregulari ordine, uti & etiam flores ac fructus proveniunt. Folia autem ſunt oblonga, lata, craſſa, venoſa, venis ex medio majore craſſo, longo, per totum folium decurrentibus coloris fere ſanguinei ſed magis purpuraſcentis. Flores duplici modo proveniunt, flores enim maſculini in alia plantae parte proveniunt copioſi, minimi, plurimi ſimul faſciculatim congeſti, ſtaminoſi, luteſcentes; Feminini vero a maritis longe remoti majores obſervantur rariores ac interdum ſolitarii, virentes, ex quinque petalis anguſtis longisque compoſiti qui fructus dant magnos, ſeſſiles, ſubrotundos, virides, ſulcatos, trilobos, triloculares, tricoccos. Peculiaris haec planta in *Collect.* *D. van der Stell* invenitur ſeparata, una nempe plantae pars flores maſculinos gerens in diverſa depicta pagina, altera fructus & flores foemininos producens in ſeparata icone, unde forte ſuſpicio, quod & in plantis ſeparatis obſerventur flores diverſi, quod & aliis hujus generis accidit. genus hoc autem a *Tournef.* Ricinoides vocatur, quod Croton *Linnaeo* dicitur, cujus characterem definit in *Char. Pl. gen. num.* 720.

THY-



CROTON foliis craſsis, venoſis, venis rubentibus.



Fig. 1.

THYMELAEA *foliis imbricatis oblongis, floribus sericeis, ramosa.*

Fig. 2.

THYMELAEA *foliis imbricatis angustioribus, floribus ſericeis, spicata.*

Fig. 3.

THYMELAEA *foliis inbricatis latioribus, subrotundis, ac subtus incanis.*

THYMELAEA foliis imbricatis oblongis, floribus ſericeis, ramoſa.

Tab. XLVI. Fig. 1.

Adſurgit hic elegans frutex caudice ſcabro, rotundo, cinereo, qui plurimos emittit ramos ſpithamales, in minores ſimplices diviſos, qui folia gerunt plurima, denſe congeſta, & inbricatim ſibi invicem juncta, alternatim oppoſita, parva, oblonga, craſſa, venoſa, concava, viridia: In ramulorum ſummo flores eriguntur ſolitarii, magni, quadrifidi, nudi, cylindracei, in ſegmenta quatuor oblonga, craſſa, ſericea, patentia diviſi, qui ſtamina quatuor erecta habent longiora, quatuor aliis brevioribus, cum antheris anguloſis, ad dimidium petalorum ſeſe erigentibus, & poſt quos fructus ſequitur conicus, qui eſt bacca oblonga, unilocularis, ſemen unicum oblongum carnoſum continens. Ab *Hermann.* in *Catal. Pl. Afric. p.* 22. vocatur Thymelaea Africana, foliis Plegmariae ſquammatim diſpoſitis, ramulis ſpicatis. & Thymelaea Africana, foliis, liratis, ſquamatim cauli appreſſis. D. *Sherard.* apud *Ray tom.* 3. *Dendr. p.* 55. *num.* 55. In *Cod.* autem *Witſ.* Frutex Africanus Ericae folio, flore rubro. ubi annotatur quod locis ſaxoſis creſcat, duos pedes alta, florens Octobri. *Caſp. Commel.* in *Catal. MSto* ſingulare genus huic familiae tribuit, quod ab ipſo vocatur, & quidem haec planta Jalapoides Africana, Ericae folio, major, ubi dicit „ Jalapoides hos „ frutices vocavi, dum ſemen poſt ſingulos flores producit „ nudum, ferme inſtar Jalappae Tournefortii, quae alias Mi-

„ rabilis

„ rabilis Peruviana audit, florem etiam habet monopetalum, „ non ut Jalapa infundibiliformem, & plerumque leviter in- „ ciſum, ſed in quatuor profundas lacinias diviſum, calicem „ etiam habet quadripartitum & apertum, non autem multi- „ farie diviſum, & ſemen non nihil tegens, ut Jalapa Tour- „ nefortii.“ Quum vero hujus generis character cum recepto Thymelaeae genere in omnibus optime conveniat, & a *Commel.* haud accurate videtur notatus, non video rationem, cur novum inde fingamus genus, & potius cum Clariſſ. *Hermanno*, qui has plantas in loco natali vegetas & viventes obſervaverit, & ut ſolebat, accurate examinaverit, ad juſtum ſuum Thymelaeae genus hanc cum ſubſequentibus retinebimus. cujus characterem latius definitum vide a *Carol. Linnaeo in Char. Pl. gen. num.* 311. ſub nomine DAPHNE

CHA-

THYMELAEA foliis imbricatis anguſtioribus, floribus ſericeis, ſpicata.

Tab. XLVI. Fig. 2.

A praecedenti ſpecie hic frutex differt ramis inprimis longiſſimis, ſimplicibus, raro diviſis, ſpicae in modum erectis, ac foliis multo anguſtioribus, longioribus ac etiam rarioribus, alternatim oppoſite ſeu cruciatim ſitis, quae concava & excavata admodum apparent Cymbae in modum, ac ſubtus pallidiora, flores caeterum in ramorum ſummo ſolitarii, ejusdemque formae ac ſtructurae apparent, atque hanc in *Herbar. Witſ.* cum praecedenti invenimus, quae videtur eadem ac Thymelaea Africana, foliis Plegmariae longioribus, ramulis ſpicatis. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 22. & Thymelaea Aethiopica, Paſſerinae foliis minimis, lanuginoſis. *Plukn. Phyt. Tab.* 319. *Fig.* 1. quae ſine floribus exhibetur. ut & Thymelaea Scaphoides, Monomotapenſis, ſeu foliolis glabris, triquetris, cavis, cymbaeformibus, floribus ſolitariis, amplis, ſummo caule villoſis. *Plukn. Mantiſſ. p.* 180. *Tab.* 445. *Fig.* 8. quum vero ejus Figurae nec exactae, ac floribus deſtitutae exhibeantur perfectam magis dare, nomenque huic plantae magis ſpeciale ac melius conveniens inponere neceſſe duximus. quae forte etiam eſt Planta e Cap. Bonae Spei, foliis carinatis, punctatis, flore albo. *Petiv.* apud *Ray in append. tom.* 3. *p.* 239. *num.* 51.

THYMELAEA foliis inbricatis latioribus, ſubrotundis, ac ſubtus incanis.

Tab. XLVI. Fig. 3.

SImili modo, quo praecedentes, hic frutex excreſcit ramis ſcilicet ſcabris ac cortice cinereo obductis proveniens, hujus autem rami ſunt laxiores, minusque frequentes, ſimplices, ac non diviſi, paucioribusque foliis vel ſaltem magis caducis obſiti, quae vero in ramorum ſummo crebriora ſunt, & magis perennia, inbricatim itidem caulibus inponuntur, ſed ſunt latiora, rotundiora ac plana, nec concava uti in praecedentibus, ac ſubtus etiam incana; Flores autem, quos in ramorum apicibus profert ejusdem quidem figurae ſunt, ſed petala non ita habent craſſa, ac venoſa, nec ſericea, & quantum apparet magis lanuginoſa, purpureique coloris. Atque hanc puto denominari ab *Hermann. in Catal. Pl. Afric. pag.* 22. ubi vocatur Thymelaea Africana, foliis Plegmariae latioribus, capitulis lanuginoſis. ut & Thymelaea Afric. Myrti Tarentini foliis, & floribus ſericea lanugine argentatis. *Plukn. Mantiſſ. p.* 100. *Pl.* 2.

THY-



Fig. 1.

THYMAELEA folis oppositis cruciatis, angustis, floribus tubulosis, spicae in modum ex foliorum alis erectis.



Fig. 2.

THYMAELEA foliis oblongo-acutis, ad oras fimbriatis, floribus ex foliorum alis spicatis.



Fig. 3.

THYMAELEA foliis angustiſsimis; linearibus, flosculis spicatis.

THYMAELEA foliis oppoſitis cruciatis, anguſtis, floribus tubuloſis, ſpicae in modum ex foliorum alis erectis.

Tab. XLVII. *Fig.* 1.

HUmilis haec planta eſt, pedem circiter alta, fruticis in formam tamen excreſcens, quum ramos e terra emittat erectos, firmos, lignoſos, ſicuti & ejus radix eſt longa, lignoſa, ſpithamalis, recta, vix fibroſa, paucas laterales, ſimplices, firmas emittens fibras, atque haec paulo ſupra terram ramos dat erectos, ſimplices, ſemel bisve tantum diviſos, in ſummo autem in minores ramulos ſimplices, tanquam in ſpicas hi dividuntur, qui folia gerunt anguſta, acuta, nervoſa, glabra, viridia, ſeſſilia, bina oppoſita, alternata, ſeu cruciatim poſita; Flores in ramulorum ſummo ex foliorum alis egrediuntur ſolitarii, anguſtis longiſſimisque, villoſis, ſericeis tubulis conſtantes, qui ſuperius ſeſe explicant, & aperiunt in petala ſeu ſegmenta quatuor oblonga, anguſta, aequalia, ſuperius purpurea, inferius villoſa, & incana, atque haec in eorum fundo ſtaminula habent plurima numeroſa, villoſa, albicantia, ſtellae in modum in orbem poſita, hae Thymaeleae ſpecies ſine dubio alius & incogniti forte ac novi ſunt generis, quum autem fructum obſervare nec examinare potuerim, nihil hic certi concludere poſſum, & tam diu ad hoc genus retinebimus, donec occaſio magis favens fructus vel mihi vel aliis in hac arte peritioribus hoſce examinandos praebuerit. Rariſſimae ac elegantiſſimae hae omnes ſunt plantae, de quibus notandum, quod in ramorum ſummo folia gerant

adeo arcte congeſta & inbricatim inpoſita, ut ſpicam fere mentiantur, atque ibi genicula caulium etiam ſunt creberrima, interſperſa lanugine albicante, quae in majoribus ramis, ubi folia ſunt laxiora, ac remotius ſita non obſervatur. Videturque haec planta denominari ab *Hermann.* in *Catal. Pl. Afric. p.* 22. Thymaelea Africana, foliis Plegmariae, ſquammatim diſpoſitis, ramulis ſpicatis. a *Pluknet. in Mantiſſ. p.* 180. Thymaelea Aethiopica, glabra, Paſſerinae foliis minor. & a *Breyn in Faſcic. p.* 25. Thymaelea Aethiopica, foliis Paſſerinae minor: in *Ray* vero *tom.* 3. *p.* 243. Valerianoides fruticoſa, brevibus anguſtis & acutis foliis, floribus purpureis Capitis Bonae Spei. ubi inter alia de hac notatur, floſculi e foliorum ſinibus emergentes, e tubo oblongo anguſto in petala purpurea expanduntur, ſtamina brevia albicantia, intus continentes. quod & in noſtrae plantae floribus obſervavi.

THY-

THYMAELEA ſoliis oblongo-acutis, ad oras fimbriatis, floribus ex foliorum alis ſpicatis.

Tab. XLVII. *Fig.* 2.

ALtius hic frutex videtur excreſcere, quum rami ejus ſint lignoſiores, firmiores, craſſioresque, qui in majoribus rotundi, in minoribus quadrangulares videntur, ac purpuraſcentes, his folia quaſi inponuntur ſeſſilia, alternatim oppoſita, ſeu cruciata, lata, oblongo-acuta, nervoſa admodum, glabra, ad oras vero fimbriata lanugine ſericea, quae in foliis tenerioribus ad ramulorum ſummum ſitis quam maxime ſplendet, atque ibi flores ex foliorum alis eriguntur ſolitarii, longi, tubuloſi, ejusdem formae ac ſtructurae, uti in praecedente ſpecie, folia autem hic adeo denſe ſunt ſita, ac creberrima, ut cum floribus ſpicati hi videantur, ſeu ſpicam mentiantur.

Atque haec videtur eſſe Thymaelea Africana, foliis Plegmariae latioribus, viridibus, capitulis lanuginoſis. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 22. ut, & Thymaelea Aethiopica, fruteſcens, anguſtis Paſſerinae foliis, denſa ſerie caulem veſtientibus, glabris, ad oras autem lanugine fimbriaris, floſculis in ſpicam purpureis. *Plukn. Mantiſſ. p.* 180. & Valerianoides Myrtifolia, non ramoſa, floribus paucis in ſummo caule lanuginoſis Capit. Bonae Spei *Ray tom,* 3. *p.* 243.

THYMAELEA foliis anguſtiſſimis, linearibus, floſculis ſpicatis.

Tab. XLVII. Fig. 3.

FRutex hic ramulos gerit teneros, ſemiſpithamales, rotundos, purpuraſcentes, glabros, quibus folia incerto ordine, nunc ſolitaria, nunc vero oppoſita incumbunt ſeſſilia, anguſta, linearia, acuta, glabra, viridia, qui in ſummo minima ſunt, ac ſquamulas fere referunt, ex quorum ſingula ala flos egreditur ſolitarius, anguſtus, longus, tubuloſus, ſuperius in quinque minima, ſubrotunda ſegmenta diviſus, coloris quantum apparet purpuraſcentis, atque haec planta ad aliud ſine dubio genus pertinet, quum autem de fructu mihi non conſtat, ipſi certum tribuere vix audeo, unde puto eam a *Pluknet. in Mantiſſ. p.* 35. denominari, ubi vocatur Campanula ſpicata, minima, floſculis elegantiſſime rubris, longo tubulo donatis, Capit. Bonae Spei, quae in *Ray tom.* 3. *p.* 389. etiam recenſetur. atque in *Pluknet. Phytogr. T.* 445. *Fig.* 6. exprimitur & vocatur Thymaelea Aethiopica, ſpicata, glabra, foliis longioribus anguſtis. *Mantiſſ. p.* 180. quae Thymaelea Africana, foliis Plegmariae longioribus, ramulis ſpicatis. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 22. & Valerianoides parva, foliolis in caule raris, ſpica in ſummo caule oblonga, e foliolis & floſculis confertis compoſita. Cap. Bonae Spei. *Ray tom.* 3. *p.* 243.

THY-



Fig. 1.

THYMELAEA ramoſa, linearibus foliis anguſtis, flore ſolitario.

Fig. 2

THYMELAEA foliis triquetris, anguſtis, cruciatim oppoſitis flore ſericeo.

Fig. 3.

THYMELAEA foliis linearibus alternis, floribus ex uno petiolo copioſis.

THYMELAEA ramoſa, linearibus foliis anguſtis, flore ſolitario.
Tab. XLVIII. *Fig.* 1.

E radice lignoſa, longa, repente, haud multum diviſa, ac paucas minimasque fibras emittente oritur hic frutex humilis, ad pedis circiter aut paulo ultra altitudinem excreſcens, ramoſa admodum, quae in plurimos breves flagelloſosque quaſi ramos procumbentes dividitur, incerto ordine provenientes, quorum folia admodum ſunt caduca, & non niſi juniora ultra eorum dimidium in ſummo remanent, ſunt autem parva, anguſta, lineraria, acuta, introrſum quaſi excavata, ubi ſibi mutuo opponuntur, viridia, in horum ramulorum ſummo flos erigitur ſolitarius, cylindraceus, in quatuor ſegmenta acuta, expanſa diviſus, formae & ſtructurae, uti in prioribus ac reliquis congeneribus, qui in hac ſpecie purpureus eſt, cujus & alteram varietatem habeo florem ſericeum albicantem gerentem, atque quam hic exhibeo, videtur a *Pluknet. in Mantiſſ. p.* 180. denominari Thymelaea Aethiopica, Abietiformis, floribus phaeniceis. ut & Thymelaea Africana, Sanamundae facie, Ericae foliis anguſtiſſimis. *Par. Bat. Pr.* & *Plukn. Phyt. Tab.* 229. *Fig.* 9. in *Cod.* autem *Witſ.* Frutex Africanus, Ericae folio, minor, flore rubro. & a *Caſp. Commel. in Catal. MSto* Jalapoides Africana, Ericae folio, flore rubro. ab *Hermann. in Cat. Pl. Afric. p.* 23. Thymelaea Africana, foliis Abietis, capitulis villoſis: cujus varietas videtur Thymelaea Africana Abietis folio, floribus longis, tubuloſis, umbellatim diſpoſitis. D. *Sherard.* apud *Ray. tom.* 3. *Dendr. p.* 55. *num.* 53. an Valerianoides fruticoſa, foliis tenuiſſimis, creberrimis, nullo ordine poſitis Abietis in modum cincta, floſculis ſpicatim e ſuperiorum foliorum alis exeuntibus *Ray tom.* 3. *p.* 244?

THY-

THYMELAEA foliis triquetris, anguſtis, cruciatim oppoſitis, flore ſericeo.

Tab. XLVIII. *Fig.* 2.

Differt haec ſpecies a priori, quod altius excreſcat, nec ita ſit ramoſa, fruticis forma itidem proveniens, qui ramos gerit ſpithamales, in alios minores majori ſimiles itidem diviſos, rotundos, purpuraſcentes, qui folia in ſuperiori parte habent minima, anguſta, ſeſſilia, oblongo-acuta, triquetra, bina oppoſita alternatim ſeu cruciatim provenientia, viridia, folia haec in majoribus deficiunt, quum exareſcentia facile ibi decidant, in ramorum autem ſummo creberrima admodum ſunt & magis perennia, ubi flores ex eorum alis proveniunt ſolitarii, tubuloſi, in quatuor anguſta, plana & expanſa ſegmenta diviſi, ſericei, albicantis, ſplendentisque coloris; in *Herbar. Witſ.* hanc cum ſubſequente inveni, cum qua convenit Thymelaea fruticoſa Pinaſtri brevioribus foliis, floribus villoſis ex Prom. Bonae Spei *Plukn. Mantiſſ. p.* 181. *& Phyt. Tab.* 445. *Fig.* 8. ut & Thymelaea Africana, anguſtifolia, Jaſmini flore, *Oldenl. T. p.* 595. atque Thymelaea Africana, Juniperi folio obtuſo, flore amplo, utrinque villoſo. D. *Sherard.* apud *Ray tom.* 3. *Dendr. p.* 55. *num.* 56.

THY-

THYMELAEA foliis linearibus alternis, floribus ex uno petiolo copioſis.

Tab. XLVIII. Fig. 3.

FRutex hic altiſſime excreſcit, atque ramos bipedales emittit, qui ſunt ſcabri, rotundi, in adultioribus purpuraſcentes, in junioribus autem penitus rubri, atque hi folia gerunt duplo fere longiora, quam in praecedentibus, quae ſunt laete viridia, anguſta, acuta, ſeſſilia, alternatim utcunque, ſed ſine ordine plurimum poſita, concava, laeviter pubeſcentia. Flores in ramorum ſummo proveniunt copioſi ad numerum denarium, & ſaepe ultra, qui minores ſunt, quam in praecedentibus, caeterum forma & ſtructura cum aliis convenientes, ſericei albicantis coloris, atque hi denſiſſime congeſti ſunt, qui ex unico petiolo, craſſo, & lato, anguloſo, ſenſim dilatato, ſericeo proveniunt, hic ipſis pro communi quaſi calice ſupponitur, atque inſervit, quod in nullis aliis mihi cognitis ſpeciebus obſervavi.

Denominata haec eſt ab *Herman. in Catal. Plant. Afric. p.* 22. ubi vocatur Thymelaea Africana, Lini anguſtiſſimis foliis, floribus albis umbellatis. & Thymelaea Africana, foliis Lini, floribus in capitulum congeſtis. *Oldenl. Tournef. p.* 594. ac Thymelaea Aethiopica frutex, Polygoni anguſtiore folio, glabro, floribus cum tubulis ex uno caliculo plurimis. *Plukn. Mantiſſ. p.* 180. ut & Thymelaea Africana Lini anguſto folio, floribus albis, villoſis, umbellatim diſpoſitis. D. *Sherard.* apud *Ray tom.* 3. *Dendr. pag.* 55. *num.* 1. cujus & forte generis eſt Valerianoides fruticoſa, foliis Linariae anguſtioribus, caulem undique cingentibus, floſculis atro purpureis, in ſpicis longis, laxis. *Cap. Bonae Spei* in *Ray tom.* 3. *p.* 243.

THYMELAEA capitata, lanuginoſa, foliis creberrimis, minimis, aculeatis.

Tab. XLIX. *Fig.* 1.

ELegans hic frutex ramos gerit craſſos, lignoſos, rotundos, cortice cinereo obductos, qui in minoribus ramis lanuginoſus penitus eſt, ubi folia progerminant plurima, incerto ordine locata, anguſta, acuta, cinerea, ſeſſilia, quae ex eorum alis foliola minima producunt, quae in ramorum ſummo adeo denſe ſunt congeſta, ut plantam capitatam fere referant, & cum Thymo capitato quam maxime hac in re convenit, ex horum ramulorum capitulis flores eriguntur plures ſimul collecti, oblongi, tubuloſi, ſuperius ad tertiam fere eorum partem diviſi in ſegmenta minima, ſubrotunda, erecta, coloris albicantis. Peculiaris hic frutex in *Herbar. Witſ.* ſine ullo nomine mihi obvenit, qui videtur eſſe Thymelaea, foliis breviſſimis, floribus conglobatis, Africana; *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 23. & Thymelaea Africana, capitata, minor, Serpilli foliis aculeatis. *Plukn. Mantiſſ. p.* 181. ubi interrogatur, an ſit Sanamunda Africana, foliis Serpilli minimis, aſperiuſculis, capitulis Thymi *Breyn faſc. p.* 25. quod veroſimile, quae porro eſt Sanamunda Africana, Saturejae foliis denſe ſtipatis, floribus in capitula rotunda diſpoſitis. D. *Sherard* apud *Ray tom.* 3. *Dendr. pag.* 55. *num.* 41. atque Valerianoides floribus conglomeratis, foliis Thymbrae ſubtus incanis D. *Sherard* in *Ray tom.* 3. *p.* 244.

THY-


Fig. 4.
LYCHNIDEA villosa, foliis oblongis, dentatis, floribus spicatis.
Fig. 1.
THYMELAEA capitata, lanuginosa, foliis creberrimis, minimis, aculeatis.
Fig. 3.
THYMELAEA foliis planis acutis, coma & floribus purpureis.
Fig. 2.
THYMELAEA sericea, foliis oblongis, floribus tubuloſis, anguſtiſsimis

THYMELAEA ſericea, foliis oblongis, floribus tubuloſis, anguſtiſſimis.

Tab. XLIX. Fig. 2.

FRuteſcens haec itidem Thymelaeae ſpecies eſt, quae tota quanta lanuginoſa, ſericea, ac ſplendens elegantem producit conſpectum, ac ramos emittit longiſſimos, ſeſquipedales, ſimplices, rectos, & non niſi in ſummo diviſos in minimos majori ramo ſimiles, ac floriferos, hi undique inveſtiuntur foliis latis, oblongis, obtuſe fere deſinentibus, ſeſſilibus, caulibus arctiſſime junctis & quaſi applicatis; folia haec nervoſa admodum ſunt ac piloſa alternatim oppoſita, ſeu cruciatim locata. Flores in ramulorum ſummo ex foliorum alis egrediuntur plurimi, anguſtiſſimi, tubuloſi, ſuperius in quatuor anguſta, oblonga, aequalia ſegmenta diviſi, coloris ſericei, albicantis, ſplendidiſſimi, qui Jaſmini flores haud male referunt. unde ab *Oldenland* apud *Tournef. pag.* 595. vocatur Thymelaea Africana fruteſcens, Jaſmini flore albo, foliis Polygalae. & ab *Hermann. in Catal. Pl. Afric. p.* 23. Thymelaea Africana, Linifoliae ſimilis, foliis lucidis latioribus & obtuſis. *Par. Bat. Pr.* & Thymelaea Gnaphaloides Africana. foliis & floribus ſericea lanugine maxime tomentoſis. *Plukn. Mantiſſ. p.* 180. ubi quaeritur, an ſit Thymelaea foliis Serpilli candicantibus, Serici inſtar mollibus. *Breyn Prodr.* 2. *p.* 99. ut & Thymelaea Africana, foliis ſericeis, candicantibus, floribus umbellatim diſpoſitis. D. *Sherard* apud *Ray tom.* 3. *Dendr. pag.* 55. *num.* 50. hujus & altera ſpecies, quae folia glauca habet, ſed

non ſericea, caeterum conveniens, quae in *Herbar. Witſ.* etiam reperitur, & videtur eſſe Thymelaea Afric. folio glauco latiori & breviori acuto, floribus longo tubulo donatis, e foliorum alis erumpentibus. D. *Sherard. apud Ray tom.* 3. *Dendr. p.* 55. *num.* 58. Quae forte Valerianoides foliolis albicantibus, latioribus, brevioribus, acuminatis in caule crebrioribus, floſculis pluribus in ſuperiore caulis parte. *Prom. Bonae Spei. Ray tom.* 3. *p.* 243.

THYMELAEA foliis planis acutis, coma & floribus purpureis.

Tab. XLIX. *Fig.* 3.

ELegans haec Thymelaeae ſpecies ramos gerit craſſos, lignoſos, glabros, purpureos, bipedales, qui in plurimos, ſimplices, minores ramos, majori ſimiles dividuntur, atque hi folia gerunt arcte congeſta, ſeſſilia, bina oppoſita, alternata, ſeu cruciata, folia haec Myrti foliis ſimillima ſunt, ſed minora; ſunt autem lata, glabra, oblongo-acuta, nervo medio in dorſo protuberantia, viridia, quae per ramos ſparſa, in ramorum autem ſummo arctiſſime congeſta, colorisque purpuraſcentis, ita ut haec ramorum comam conſtituant eleganter purpuream, ubi & flores plurimi eriguntur concolores, oblongi, tubuloſi, ibique lanuginoſi, & ſericei videntur, ſegmenta autem eorum ad tertiam fere floris ſummi partem ſunt plana, oblonga, quadripartita, aequalia: Atque haec videtur eſſe eadem, ac Thymelaea Africana, foliis Polygalae glabris, brevioribus, *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 22. & Sanamunda, Africana quarta, ſive foliis glabris acutis. *Breyn Faſcic. p.* 75. ut & Thymelaea Africana, Sanamundae prioris Cluſii facie, ex Promont. Bonae Spei. *Plukn. Almag. p.* 367. *Tab.* 323. *Fig.* 7. atque Thymelaea Afric. Myrti foliis denſe ſtipatis, floribus umbellatis. D. *Sherard* apud *Ray tom,* 3. *Dendr. pag.* 55. *num.* 49.

LYCHNIDEA villoſa, foliis oblongis, dentatis, floribus ſpicatis.

Tab. XLIX. *Fig.* 4.

RAmi hujus plantae ſunt bipedales, rotundi, purpuraſcentes, ſcabri, alternatim gerentes folia ſolitaria, majora, oblonga, lata, dentata, ſcabra, ex quorum alis exoritur ramulus triuncialis, folia gerens majori ſimillima, ſed minora, quae ſenſim decreſcunt, & in eorum ſummo minima exiſtunt. Flores in majorum ramorum vertice locantur ſpicatim provenientes, ſinguli autem ex peculiari folii ala, atque hi continentur calice oblongo, ſtriato, quinquefariam acute diviſo, quam maxime hirſuto. Flores autem ſunt longi, anguſti, tubuloſi, villoſique, qui ſuperius expanduntur in quinque petala ſeu ſegmenta plana, oblonga, aequalia, purpurea. de fructu mihi non conſtat. ſed a *Pluknet. in Mantiſſ. p.* 179. vocatur. Thymaeleae adfinis, quadricapſularis Aethiopica, Criſtae Galli foliis villoſis, pericarpio magno, pyramidali, quae in *Phyt. Tab.* 455. *Fig.* 5. ruditer exhibetur. videturque mihi eadem eſſe, quae ipſi vocatur Euphraſiae adfinis Africana, Pedicularis folio villoſo, floribus praelongis tubis profunde labiatis donata. *Mantiſſ. p.* 73. & *Ray tom.* 3. *p.* 401. *num.* 15.

LYCH-



LYCHNIDEA villosa, foliis ex alis floriferis, florum petalis cordatis.

LYCHNIDEA foliis ad radicem ternis oppositis, ad caulem ſolitariis alternis, floribus umbellatis.

LYCHNIDEA villoſa, foliis anguſtis, dentatis, floribus umbellatis.

Fig. 1. *Fig. 2.* *Fig. 3.*

LYCHNIDEA villoſa, foliis ex alis floriferis, florum petalis cordatis.

Tab. L. Fig. 1.

HUmilis haec planta eſt, pedem circiter alta, quae ex radice lignoſa, tenues ſimplicesque fibrillas emittente oritur, ac ramos e terra emittit plurimos, ſimplices, lignoſos, villis undique obſeſſos, uti & tota planta villoſa admodum eſt, atque hi folia gerunt alternata, oblonga, ſenſim latiora & obtuſa, ad oras autem crenis raris ac tenuibus inſculpta, ex horum autem alis in majoribus ramis minores ſaepe producuntur ramuli majori ſimiles, qui in ſummo gerunt flores quaſi ſpicatos, ſeu in ſpicam collectos, ſinguli vero ex ſingula folii ala proveniunt, floresque hi ex latiore baſi, quae Embryo videtur, ortum ſuum ducentes, anguſtiſſimo tubo erecti, in ſummo quinquefariam dividuntur in petala quinque oblonga profunde cordata, poſt quos ſequitur capſula oblonga, in noſtra planta, uti mihi apparet, bilocularis, quae a *Dillen. in Hort. Elth. pag.* 203. tricapſularis huic generi tribuitur, cujus characterem ſequenti modo accurate ibi definit.

„ *Lychnidea* eſt Herbae Vaſculiferae genus, flore monopetalo, regulari, infundibiliformi, quinquefariam diviſo, cujus embryo, baſi floris exceptus, capſula fit oblonga, trigona, tricapſularis, & triſperma, quantum ex embryone, nam ſemina in his regionibus nondum maturavit, cognoſcere licuit &c. ubi vide reliqua; ac elegantes hujus generis ſpecies; atque *pag.* 204. porro addit „ Americam autem pa-

„ triam

„ triam agnoſcunt omnes, quotquot adhuc innotuerint hujus „ generis ſpecies.“ Sed nec Africam, praeſertimque Promontorium Bonae Spei, plantarum rariſſimarum uberrimum promptuarium, nec hoc eleganti genere deſtitui unusquiſque jam facile agnoſcet, atque plantam hanc, quam hic exhibeo, jam olim peritiſſimus ac expertiſſimus Botanicus D. *Garcin* ex Africa redux mecum communicavit, quae ipſi Lychnidea Africana Sabulorum Promontorii Bonae Spei audit. & videtur eſſe Campanula Africana, ramoſa, Drabae minoris foliis pubeſcentibus. D. *Sherard Ray tom.* 3. *p.* 387. *num.* 19. ut & Euphraſia Aethiopica. Drabae foliis, ſummis oris floſculorum altius diviſis. *Plukn. Mantiſſ. p.* 73. & *Ray tom.* 3. *p.* 401. ut & Valerianoides foliis binis oppoſitis, unciam fere longis, quadrantem latis, circa margines dentatis, floſculis in ſummitate paucis, e tubo longiſſimo in quatuor petala bifida expanſis. Capit. Bonae Spei. *Ray tom.* 3. *p.* 243. cujus generis eſt Thymaelaeae affinis quadricapſularis Capit. Bonae Spei *Plukn. Almag. p.* 367. quam in *Phyt. Tab.* 319. *Fig.* 3. exhibet, quae a noſtra differt, quod florum petala ſint quaterna, nec cordata, quod forte erroneum, caeterum conveniens. atque haec in *Ray tom.* 3. *p.* 243. vocatur Valerianoides, Aethiopica foliis Crataeogoni Euphroſunes, florum tubis longiſſimis. & Valerianoides Ladani ſegetum folio D. *Sherardi. ibidem.*

LYCH-

LYCHNIDEA villoſa, foliis anguſtis, dentatis, floribus umbellatis.

Tab. L. Fig. 2.

HUmilior, quam praecedens, haec ſpecies eſt, quae ſpithamam vix alta eſt, & erecta, caules gerens ſimplices, lignoſos, hirſutos, villis undique obſeſſos, rotundos, qui folia habent ſeſſilia, oppoſita, anguſta, acuta, dentata, hirſuta; Flores in ramorum ſummo locantur longis petiolis communibus inſidentes, qui in tot minores breves dividuntur, quot flores progerminant, a quibus ſuſtinentur, flores autem ſunt monopetali, infundibiliformes, pentapetaloides uti in priori ſpecie. atque hanc puto eſſe, quae vocatur Lychnis Africana, minima, folio anguſtiſſimo viridi, flore purpureo, capſulis turgidis, ſtriatis. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 16. & Thymaeleae affinis puſilla planta, villoſis & crenatis foliis acuminatis. *Prom. Bonae Spei. Plukn. Mantiſſ. p.* 179. Lychnoides Aethiopica, anguſtifolia, floribus incarnatis, petalis acutis. Cap. Bonae Spei *Ray tom.* 3. *p.* 490. forte huc pertinet, ut & Lychnidea umbellata, Saturejae duris longioribus foliis, ex Terra Mariana. *Plukn. Mantiſſ. p.* 122.

***LYCHNIDEA** foliis ad radicem ternis oppoſitis, ad caulem ſolitariis alternis, floribus umbellatis.*

Tab. L. Fig. 3.

PEdem circiter alta eſt haec planta, quae ex radice lignoſa, cinerea, concolores fibras emittente oritur, atque ſtatim e terra folia ſua producit, quae ſunt lata, oblonga, acuta, crenata, ex tribus paribus oppoſita, ex horum centro caulis erigitur ſpithamalis, erectus, rotundus, viridis, qui folia gerit oblonga, anguſta, integra, viridia, quae ad florum ortum multiplicia ſunt collecta, & ipſis floribus ſuppoſita, hi autem umbellatim proveniunt, breviſſimis petiolis inſidentes, denſe admodum congeſti, in quinque petala diviſi, coloris carnei. Haec planta in *Cod. Witſ.* eleganter depicta habetur, ipſi autem nullum nomen eſt inditum, ſed de hac annotatur. „Haec incognita planta provenit in locis aridis, ſabuloſis, grati „odoris, ita ut inter Herbas Cephalicas numerari mereatur, „quae detecta eſt, 12 Septembris anni 1685.

JOANNIS BURMANNI,

Med. Doct. & in Horto Medico Amſtelaedamenſi Botanices Profeſſoris,

RARIORUM AFRICANARUM PLANTARUM,

Ad vivum delineatarum, Iconibus ac deſcriptionibus illuſtratarum

DECAS SEXTA.



J.C.Philips del. et fecit 1738.

AMSTELÆDAMI,

Apud HENRICUM BOUSSIERE.

MDCCXXXIX.

NOBILI AC STRENUO

VIRO,

FRANCISCO BURMANNO,

PRAEFECTO MILITUM,

&c. &c.

NEC NON

AMPLISSIMO ET NOBILISSIMO

VIRO,

CASPARO BURMANNO,

J. U. D. URBIS ULTRAJECTENSIS

SENATORI ET JUDICI,

COGNATIS HONORATISSIMIS,

Hanc Sextam
Decadum partem
ſincero animo
dicat

JOANNES BURMANNUS.



CHRISTOPHORIANA *trifoliata, foliis ſcabris, flore ſulphureo, rariore.*

PLANTARUM AFRICANARUM DECAS SEXTA.

CHRISTOPHORIANA trifoliata, foliis ſcabris, flore ſulphureo, rariore.

Tab. LI.

PRovenit haec planta ad Promont. Bonae Spei in locis declivibus & humidis ex radice fuſca, longa, ſimplici, vix diviſa, profunde ſeſe in terram figente, ex cujus vertice mox e terra eriguntur foliorum pedunculi, longi, craſſi, ſenſim tenuiores, hirſuti, rotundi, pallide virentes, qui folia emittunt trilobata, ſeu potius tria ſimul ex uno centro propullulant, bina oppoſita, inpari altero extremum claudente, quae ſunt lata, oblonga, ad oras dentata, ſcabra, venoſa, ſuperius virentia, inferius pallida, haec ad ramos floriferos ſolitaria proveniunt anguſta, oblonga, profundius dentata, hi rami ex ipſa radice etiam ſuum habent ortum, qui duos pedes alti in loco natali eriguntur, itidem ſcabri & hirſuti, atque flores proferunt rariores, duos tresve ſimul in ſingula diviſione tan-

tum locatos, qui calice oblongo, pentaphyllo, viridi continentur, atque ex plurimis petalis, aequalibus, oblongis, ſulphureis conſtant, intermedio capitulo ex plurimis ſtaminulis cum piſtillo ovato compoſito, unde ab aliis hujus congeneribus haec ſpecies differt, quae calicem tetraphyllum, & quatuor petala vulgo habent, fructus ex baccis oblongis, glabris, unilocularibus, plurimis adunatis conſtant, qui in *Hort. Amſtel. part.* 1. & ibi in notis ex altera majore hujus ſpecie *pag.* 2. accurate deſcribuntur, uti duae proprie hujus plantae ſunt varietates maxime inter ſeſe differentes, quae major vulgo dicitur in *Hort. Amſtel. l. c.* exhibita & deſcripta eſt, atque haec in montium locis ſaxoſis plurimum creſcit, quum noſtra in paludoſis & declivibus tantum inveniatur, uti ex *Cod. Witſ.* in quo ambae plantae ad vivum eleganter delineatae exhibentur, apparet, ubi, quam hic exhibemus, vocatur Helleborus Africanus, niger, trifoliatus, minor, flore viridi, & notatur, quod hujus folia ſint acerrima & cauſtica, planta vero humida amans, ad duos pedes excreſcens, & menſe Octobri flores producens. A *Caſp. Commel.* in *Catal. MSto* nominatur Ranunculus Aethiopicus, foliis rigidis, floribus ex luteo virentibus minor. ubi dicit, „hos Ranunculos potius quam Chriſtophorianos, aut Helleboros vocare volui, dum plurima ſemina inſtar Ranunculorum poſt ſingulos flores gerant, quorum ſingula quidem cuticula & pulpa molli obducuntur, ſed per maturitatem tamen ſicca & a ſe invicem ſeparata, atque in capitulum inſtar Ranunculorum congeſta apparent. Verum eſt, quod haec planta multum de Ranunculis participet, & inter hos & Chriſtophorianae genus ſit quaſi media, *Hermannus* autem ob baccam, & fructum mollem ad poſtremum genus merito reduxit, & ab eo *in MSto* vocatur Chriſtophoriana

Ra-

Ranunculoides Aethiopica, urens, minor, foliis rigidis. in *Catal.* autem *Plant. Afric. p.* 6. Chriſtophoriana Africana, Ranunculi flore, foliis rigidis Libanotidis, Spondilii, ſive Panacis rigido, hirtoque folio, planta Africana cauſtica, minor. a *Pluknet. in Mantiſſ. p.* 18. Imperatoria Ranunculoides, Spondilii hirſuto folio, minor ex Promontorio Bonae Spei. ubi interrogatur, an ſit Ranunculus Aethiopicus foliis rigidis &c. *Hort. Amſt. part.* 1. quae & a *Boerhav.* in *Ind. Hort. Lugd. Bat. part.* 2. *pag.* 62. inter Chriſtophorianas pro eadem habetur. Differunt autem, uti ex *Ray tom.* 3. *pag.* 316. *num.* 29. conſtat, & quod major creſcat locis aridis, minor vero aquoſis, ut ſupra jam eſt annotatum, major radicem habet longam, craſſam, nodoſam, nigricantem, minor autem jam deſcriptam, major penitus glabra eſt, minor vero hirſuta, inprimis florum, & foliorum pedunculi, major obtuſas habet foliorum crenas, minor vero profunde & acute dentatas. major comam florum habet copioſam, minor rariorem. haec mihi maxime notabilia in Figuris *Cod. Witſ.* obvenere, majoris vero iconem non addidi, quum in *Hort. Amſt.* jam optime ſit expreſſa, ubi cum noſtra ſi comparetur, diverſiſſimas eſſe plantas liquido conſtabit. majoris vero ſynonyma omnia optime collegit Clariſſ. *Boerhaavius* in *Indice* ſuo *l. c.*

ACTAEA hoc genus a *Linnaeo* in *Char. Plant. gen. num.* 427. vocatur, unde, quibus hoc nomen arridet, Actaea trifoliata, hirſuta, foliis ſcabris, flore ſulphureo, rariore dici poteſt.

PULSATILLA foliis trifidis, dentatis, flore incarnato, pleno.

Tab. LII.

EX radice longiſſima, craſſa, nodoſa, parum fibroſa, ac nigricante oritur haec planta ramis laxis, longis, flagelloſis, quae folia emittunt longiſſimis pediculis adfixa, lata, ex tenuiori baſi orta, trilobata, profunde & acute dentata, ſcabra, ſuperius viridia, inferius pallida, foliorum autem denticuli ad apices rubent. Flores longiſſimis, hirtis, ac ſcabris pedunculis, diviſis inſident, ſingulo autem ſinguli, magni, pleni, ex carneo rubentes, plurimis petalis conſtantes, extremis latioribus, mediis ſenſim anguſtatis, atque ad placentam minimis, ubi numeroſiſſima eriguntur ſtaminula colorem elegantiſſimum croceum referentia. de fructu autem mihi non conſtat. Sed elegans haec planta in *Cod. Witſ.* vocatur Pulſatilla Africana, Anemones foliis. de qua annotatur, quod in montium adſcenſu locis ſaxoſis creſcat, ſeſe erigens ad trium quatuorve pedum altitudinem e radice longiſſima proveniens, florens autem Octobri. Ab *Herman.* in *Catal. Pl. Afric. p.* 18. vocatur Pulſatilla Africana, Apii folio rigido, flore magno.

RA-



PULSATILLA *foliis trifidis, dentatis, flore incarnato, pleno.*





RANUNCULO-PLATYCARPOS foliis tenuiſsime deſsectis, flore ingenti, ſulphuero.

RANUNCULO-PLATYCARPOS foliis tenuiſſime diſſectis, flore ingenti, ſulphureo.

Tab. LIII.

E radice ſimplici, longa, parvum fibroſa oritur haec planta ramis procumbentibus, & per terram ſeſe diffundentibus, parvis, ſimplicibus, folioſis, quorum folia ſunt pinnata, in pinnas tenuiſſimas, capillares, acutas diviſa, rachi communi adfixa, unde flores exoriuntur magni, elegantes, ſulphurei, pentapetali, petiolo longo & firmo inſidentes, calice pentaphyllo, ultra medium diſſecto, acuto contenti, qui fructum dant planum, quinqueangularem, in quinque ſegmenta obtuſa diviſum, coronula quantum ex depicta apparet, quinquefida, aucta coronatum, quae an ſemina, quae ex hoc fructu propullulant, haeſito, ſemina autem dat quinque oblonga, ſtriata, fuſca. *Caſp. Commel. in Hort. Amſt. part.*2.*p.*63. exhibuit plantam, cujus fructus cum noſtrae maxime convenit, flos autem differt, ejus enim flos cum Aſteris flore magnam habet affinitatem, noſtrae vero cum Ranunculis, unde ille ſuam plantam Aſtreoplatycarpum, nos Ranunculoplatycarpum noſtram vocavimus. Quae ab *Hermann.* in *Catal. Plant. Afric. p.* 18. denominari videtur Ranunculus Africanus, aquaticus, folio capillaceo. Atque in *Cod. Witſ.* vocatur Ranunculus Africanus, paluſtris, repens, flore luteo; ubi & notatur, quod locis paludoſis, & ſalſis creſcat per humum repens, a *Caſp. Commel. in Catal. MSto.* Aſteroplatycarpos Africana, repens, flore ſulphureo. ut & Aſteroplatycarpos Africana, Abſinthii

ſinthii tenuiſſimis foliis, flore luteo, magno. D. *Sherard.* in *Ray tom.* 3. *p.* 161. ubi dicitur, quod in horto *P. vander Stell* prope Harlemum viguerit. hancque ex *Collect.* Plantarum D. *van der Stell* itidem poſſideo. PENTAGONIA melius ob compoſitum, & ſeſquipedale verbum Ranunculo-Platycarpos vitandum, forte vocaretur, quum vero incertus eſſem, an illud jam eſſet alicui plantae ab aliquo auctore inpoſitum, illud evitavi.


Pag. 151.
Tab. LIV.
Fig. 1.
a
CARLINA foliis imbricatis, oblongis, reticulatis, & in aculeum aduncum desinentibus.
b
b
c
c
Fig. 2.
CARLINA foliis simplicibus, flore aureo.

CARLINA *foliis imbricatis, oblongis, reticulatis, & in aculeum aduncum deſinentibus.*

Tab. LIV. Fig. 1.

RAmi hujus ferocis plantae ſunt bipedales, craſſi, multumque diviſi, qui foliis undique inveſtiuntur, oblongis, viridibus, hirtis, imbricatim ſibi invicem inpoſitis, quae ad oras fimbriata ſunt ſpinulis alternis, reticulatim folii dorſum involventibus, & ab utrisque foliorum oris ſibi mutuo oppoſitis, in ſummo ſeſe determinantibus in triplo majorem aculeum aduncum, acutiſſimum, flaveſcentem, uti in figura marginali *a* apparet. Flores ramulorum ſummum occupant magni, lutei, radiati, diſcoidei, corona foliacea, quae calix videtur, ſuccincti, quae conſtat foliis anguſtiſſimis, aculeatis, duplam floris longitudinem excedentibus, numeroſis, & cum fructu perennantibus, quae receptaculo ſeminali inſtar radiorum undique emiſſorum ſuccreſcit, uti in figura *b* apparet, ubi & ſemina exhibentur, quae ſunt oblonga, conicae obtuſae forma, glabra, flaveſcentia *c*. A quibusdam haec planta jam denominata, immo etiam, ſed inperfecte admodum, exhibita fuit, quam hic in loco natali ad vivam delineatam plantam, omnibus partibus abſolutam, inſculpi curavimus, addita brevi partium deſcriptione. In *Cod. Witſ.* vocatur Scolymus Chryſanthemus Africana, montana, ſpinoſa, flore luteo, ubi dicitur, quod creſcat juxta montes in rupium fiſſuris inprimis, ubi humidum ſtagnat, florens Octobri. a *Caſp. Commel. in Catal. MSto* Scolymus Chryſanthemus Africanus, ſpinoſiſſimus. Ab *Hermann. in Catal. Pl. Afric. p. 6.* Car-

duus Africanus, luteus, Atractylidis facie, extremo foliorum aculeo adunco. & *Ray tom.* 3. *p.* 196. ubi brevis ejus deſcriptio. a *Pluknet in Amalth. p.* 5. Aculeoſa Aethiopica, Attractylidis facie, foliis denſa ſerie cauli ſtrictiſſime appreſſis, capitulis folioſis. ubi addit: Huic extrema foliorum ſpina aurea, caeteris major eſt, & ſemper recurva. Figura autem ejus floribus vidua a ſequentibus exhibetur auctoribus: in *Sebae Theſ. Part. I. Tab.* 23. *Fig.* 1. *Plukn. Phytogr. Tab.* 354. *Fig.* 3. ut & a *Petiv.* in *Centur.* 2. *num.* 157. ubi Campanula (pro Carlina) Capitis Bonae Spei foliis reticulatis ſpinoſis vocatur. quae in *Ray tom.* 3. *append. p.* 238. *num.* 13. ſub hoc nomine breviter deſcribitur.

CARLINA foliis ſimplicibus, flore aureo.

Tab. LIV. Fig. 2.

EX radice longa, repente, fibroſa, nigricante oritur haec planta caule erecto, ſimplici, ſuperius in minores ſimplices ramos, majori ſimiles etiam diviſo, qui eſt rotundus, purpuraſcens, geniculatus, folia ad genicula emittens incerto ordine ſolitaria, ſimplicia, ſeſſilia, anguſta, acuta, viridia, glabra, ſuperius denſius congeſta, interpoſitis minoribus foliolis, quae flori coronae inſtar etiam ſuccinguntur. Flos hic in ramorum ſummo provenit ſolitarius, magnus, expanſus, radiatus, radiis plurimis, anguſtis, acutis conſtans, elegantiſſimi crocei ſeu aurei coloris, diſco intermedio concolore. Semina in *Cod. Witſ.* non ſunt delineata, ubi haec planta vocatur Scolymus Chryſanthemus flore luteo, & annotatur, quod juxta montes locis ſaxoſis creſcat, florens Septembri. Forte eſt Anemonoſpermos Africana, foliis anguſtis, flore Cichorei *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 3. & Aſter Africanus, flore amplo, aureo foliis anguſtis, rigidis in acumen abeuntibus. D. *Sherard* in *Ray tom.* 3. *p.* 158. ubi brevis ejus deſcriptio noſtrae plantae optime conveniens. ut & Carlina Capenſis, humilis, flore magno, radiato. *Petiv. Hort. Sicc.* apud *Ray tom.* 3. *app. p.* 243.

CARLINA foliis latis, ad oras ſpinis dentatis, flore aureo.

Tab. LV.

CAuleſcens haec Carlinae ſpecies ad pedalem excreſcit altitudinem, ſeſe explicans in folia lata, oblonga, craſſa, venoſa, ad oras dentata, dentibus acutis pungentibus, ſpinarum forma obſeſſa, ſuperius viridia, inferius incana, & molli lanugine obducta, uti & foliorum pedunculi, totusque caulis tali lanugine inveſtiuntur, qui ſunt rotundi, craſſi, ſcabri, digitum circiter longi, folia ſuſtinentes. Flos autem ſpithamali circiter petiolo inſidet magnus, diſcoideus, aurei elegantiſſimi coloris, in radios latos, oblongos, acutos, aequales, luteos expanſus, calice lato ſquamoſo contentus, ſemina uti in congeneribus perficiens. Elegans haec planta in *Herbar. Witſ.* ſine ullo nomine mihi obvenit, quam puto convenire cum Carlina (forte) Africana, foliis integris, tomentoſis, & in ambitu ſpinulis aureis aſperata. Crocodyliades Aethiopica *Pluknet Almag. p.* 86. cujus Figura a noſtra diverſa exhibetur in *Phyt. Tab.* 273. *Fig.* 5. & *Ray tom.* 3. *p.* 183. *num.* 7. Hujus & alteram ſpeciem in *Herbar. D. Garcin* obſervavi foliatura convenientem, flore autem diverſam, ejus enim flos eſt purpuraſcens, multo minor, atque radios ad oras gerens tridentatos.

GER-



CARLINA *foliis latis, ad oras spinis dentatis, flore aureo.*


GERBERA foliis
plānis, dentatis,
flore purpureo.
GERBERA foliïs
ex radice oblongis,
excavatis, ſinuosis,
subtus lanugine
ruffa villosis.
Fig. 1.
Fig. 2.
a
b
b
b
c
c

GERBERA foliis ex radice oblongis, excavatis, ſinuoſis, ſubtus lanugine ruffa villoſis.

Tab. LVI. Fig. 1.

Elegans haec planta ex capite craſſo, oblongo, pappoſo, inſtar quarundam culmiferarum oritur, radices in terram agens longas, ſimplices, vix fibroſas, nigricantes, folia autem ipſo ex trunco mox deſcripto producens tenui principio, ſemiſpithamalia, oblonga, utrinque profunde ſinuoſa, ſeu inſtar Scolopendriae diviſa & formata, quae conſtant ſegmentis ſubrotundis, oppoſitis, craſſis, inferius aſperis, nunc autem pallidis, nunc vero ferrugineis, inter haec folia floris petiolus erigitur craſſus, rotundus, ſpithamalis, ſquamulis hinc inde obſitus, ſuperius producens florem amplum, radiatum, diſcoideum, calice magno ſquammoſo, ex foliolis oblongo-acutis, imbricatim poſitis plurimis conſtructo contentum *a*, qui flos in diſco ex numeroſiſſimis floſculis hermaphroditicis conſtat, in radio autem floribus ſingularibus femininis majoribus, oblongis, viginti quinque plus minusve gaudet, qui in receptaculo communi relinquit ſemina numeroſiſſima, oblonga, fuſca *b*, coronata pappo ciliari utrinque diſperſo *c*. Hujus autem ſingularis ac novi generis character latius, & accurate definitur, ac deſcribitur a *Linnaeo in Char. pl. gen. num.* 980. quod noſtri penſi nec inſtituti eſt, omnia autem, quae ad hunc ſcopum pertinent, ibi poſſunt examinari, notatum autem volo, quod hujus plantae duae ſint varietates, una, quae flores producit luteos, altera, quam hic exhibemus, flores gerit interne albi-

cantes cum diſco nigricante, externe autem obſcure puniceos ſeu violaceos, uti in Calendularum Africanarum, a *Commel.* deſcriptarum & exhibitarum ſpeciebus obtinet, unde & haec planta in *Cod. Witſ.* vocatur Calendula Africana, montana, perennis, flore albo. a *Caſp. Commel.* autem in *Catal. MSto* Aſter Africanus, Scolopendriae folio, flore albo. quae florem gerit luteum in *Ray tom.* 3. *p.* 161. vocatur Aſter Africanus, monanthos, Scolopendriae folio, flore luteo. ubi breviter deſcribitur, & Aſter vel forte Doronicum, folio Ceterach, Capitis Bonae Spei *Breyn Prodr.* 2. *p.* 21. *Sebae Theſ. part.* 1. *Tab.* 23. *Fig.* 2. Dens Leonis Capenſis, Aſplenii folio *Petiv. Hort. Sicc.* apud *Ray tom.* 3. *p.* 244. Anemonoſpermos Africana, foliis anguſtis Aſplenii, flore magno, humilis. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 3. Scolopendriae ſeu Aſplenii facie planta Aethiopica, ſummis pinnis acuminatis, ſericea lanugine ex ruffo candicante villoſa *Plukn. Almag. pag.* 336. & *Phyt. Tab.* 313. *Fig.* 5. ubi imperfecta ac floribus deſtituta figura exhibetur. & Doronicis affinis petraea, Aſplenii foliis, Aethiopica *Plukn. Mantiſſ. p.* 65. Huc & ſpectat Aſplenium, ſive Ceterach folio ſplendente, ſubtus ferrugineo, planta capitata Africana. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 4. Invenitur haec planta loco natali in adſcenſu montium flores producens Octobri menſe juxta *Cod. Witſ.*

GER-

GERBERA foliis planis, dentatis, flore purpureo.

Tab. LVI. Fig. 2.

EX radice craſſa, carnoſa, plurimas emittente fibras nigricantes oritur haec humilis planta, quae ex radicis ſumma parte folia emittit rara, petiolis hirtis brevibusque inſidentia, quae ſunt lata, plana, oblonga, ad oras leviter ſinuoſa, & dentata, ſuperius viridia ac venoſa, inferius glabra ac pallida, Primulae veris foliis ſimillima: Ex eadem cum foliorum ſede florum pedunculi eriguntur longi, ſpithamales, craſſi, rotundi, virides, ſquamulis plurimis linearibus obſiti, in ſummo florem gerentes ſolitarium, calice ſquamoſo, imbricato contentum, forma, & ſtructura, uti in praecedente ſpecie. Flos vero minor eſt, nec ita expanſus, neque tot radiis gaudens, coloris rubentis, ſanguinei. Semina cum petalis floris emarcidis in Figura marginali *a* apparent, ubi receptaculo communi inſident; ſeparata vero *b* ſunt oblonga, glabra, coronata pappo plumoſo utrimque diſperſo. Vocatur in *Cod. Witſ.* Calendula Africana, perennis, flore rubro. & Aſter Africanus, perennis, folio integro, flore rubro. a *Caſp. Commel. in Catal. MSto.* Doronici forte ſpecies pumila, Auriculae Urſi folio glabro, flore ſaturate croceo ex *Promont. Bonae Spei Plukn. Mantiſſ. p. 65. Ray tom. 3. p. 166. num.* 10. ut & Dens Leonis Enulae folio e Cap. Bonae Spei. *Muſ. Petiv. num.* 393. in *Ray tom. 3. app. p. 238. num.* 11.

OS-

ARCTOTIS foliis Cichoraceis, florum radiis luteis, diſco puniceo.

Tab. LVII. Fig. 1.

E radice fibroſa, brevi, nigricante oritur haec planta, quae ſtatim paulo ſupra terram in varios dividitur ramos rotundos, virides, folioſos, folia gerentes inſtar dentis Leonis multifida, in pinnas oppoſitas denticulatas ſimplices diſſecta, inter haec flores ſparſim eriguntur nunc ſolitarii, ſaepius gemini, qui petiolis firmis, longis, rotundis, viridibus ſuſtinentur calice ſquamoſo, multifido, & imbricato contenti, quorum radii ſunt magni, patuli, oblongi, luteſcentes, diſco intermedio puniceo, poſt ſingulos floſculos diſcoideos ſequuntur ſemina ſingula nuda, ſubrotunda, plumoſa, in caput ſubrotundum inſtar Anemones ſeminum collecta, unde hoc genus primum ab *Hermanno*, dein a *Caſp. Commelino* Anemonoſpermos vocatum fuit, atque haec planta, cujus duae inprimis ſunt varietates, latifolia una, altera anguſtifolia dicta, ab *Hermanno* in *Catal. Hort. Lugd. Bat.* nominatur Anemone affinis Aethiopica, fibroſa radice, flore Aſteris, Taraxaci foliis ſubincanis. & Anemonoſpermos Africana, Taraxaci foliis ſubincanis, flore Calendulae Africanae latifolia *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 3. & Jacobaea Africana, Stoebes facie, flore Calendulae Africanae latifolia *Par. Bat. Pr.* & *Ray tom.* 3. *pag.* 175. cujus deſcriptio in *Append. Hiſt. p.* 1873. invenitur. Anemone Africana flore luteo in *Cod. Witſ.* haec planta vocatur. a *Volkam. in Flor. Norimb. p.* 244. exhibetur planta, quae ipſi dicitur Jacobaea Africana, Stoebes facie, flore ampliore, petalis radialibus trifidis,

haec



Fig. 1.

ARCTOTIS foliis Cichoraceis, florum radiis luteis, disco punicio.



Fig. 2.

ARCTOTIS foliis ad rachim angustis, simplicibus, flore aurantio.

haec memoratis auctorum ſynonymis vulgo jungitur, ſed figura ejus cum noſtra planta non multum quadrat, folia enim ſunt latiora, eorumque pinnae ampliores remotiusque locatae, flos etiam differt, unde diverſae videntur ſpecies, & tunc noſtra planta eſſet anguſtifolia in *Par. Bat. pr.* & ab *Herman.* in *Catal. Pl. Afric. p.* 3. denominata, cui pro ſynonymo jungitur Chryſanthemum Africanum, foliis anguſtioribus a *Breynio in prodr.* 1. denominatum. ut & Calendula Chryſanthemoides, ſemine, ſeu fructu lanuginoſo, Stoebes foliis latioribus, & altera foliis anguſtioribus *Breyn Prodr.* 2. *p.* 25. vide & *Plukn. Almag. p.* 195.

Arctotis hoc genus a *Linnaeo* ad ſeſquipedale verbum Anemonoſpermos vitandum vocatum eſt in *Char. Pl. gen. num.* 667. ubi notas hujus generis characteriſticas ample habet definitas.

ARCTOTIS foliis ad rachim anguſtis, ſimplicibus, flore aurantio.

Tab. LVII. Fig. 2.

SImili modo, quo praecedens humilis haec planta provenit ex radice fibroſa nigricante, quae ſtatim ſupra terram in varios ſeſe diffundit ramulos, ſeu potius in foliorum pinnas ſimplices dividitur, quae rachi longae adhaerent, & ſunt anguſtae, oblongae, acutae, non diviſae, majores oppoſitae, minoribus hinc inde, quantum videtur, ſeſe interponentibus. Flores petiolis longis ſimplicibus inſident, qui, ubi folia, ex ipſa quaſi radice progerminant, hi in ſummo florem ſuſtinent magnum, extenſum, radiatum, eleganter croceum, cum diſco circulo nigricante notato, calice ſquamoſo contentum, poſt quem ſequitur fructus oblongus, compreſſus, ex plurimis nudis, plumoſis, oblongis ſeminibus compoſitus, quae omnia in marginalibus figuris exhibentur, ſed in *Cod. Witſ.* rudi penicillo expreſſa videntur, ubi haec planta Anemone Africana, flore rubello vocatur. ab *Hermann. in Catal. Plant. Afric. p.* 3. Anemonoſpermos Africana, foliis anguſtis, flore aurantio, folio Coronopi. & Anemonoſperm. foliis rigidis, tenuiter diviſis, ſubtus incanis, flore aureo, umbone nigricante. D. *Sherard* in *Ray tom.* 3. *p.* 182. ubi brevis deſcriptio noſtrae plantae optime conveniens.

LEV-





LEUCANT-HEMUM fruticoſum Compho=ratum, foliis craſsis, anguſtis, acutis.

LEUCANTHEMUM fruticoſum, foliis linearibus, confertis.

BELLIS foliis ſinu=oſis, flore carneo.

LEUCANTHEMUM fruticoſum Camphoratum, foliis craſſis, anguſtis, acutis.

Tab. LVIII. Fig. 1.

IN paludibus haec planta inprimis creſcit, quae fruticoſa eſt, ramos gerens craſſos, lignoſos, rotundos, ſcabros, fuſcos, qui in minores dividuntur ſimplices, folioſos, ex quibus folia erumpunt ſeſſilia, bina utcumque oppoſita, craſſa, venoſa, oblonga, acuta. Flores in ramulorum ſummo locantur ſolitarii, ex plurimis floſculis compoſiti, in radio ex plurimis quaſi petalis albicantibus, oblongis, aequalibus conſtantes cum diſco intermedio luteo, qui ſemina dant ſubrotunda, oblonga a reflexa, in acutum conum deſinentia, fuſca, plurima & numeroſa fere, uti in figuris appoſitis patet. Vires ſine dubio haec planta poſſidet eximias, quum ex ea Camphora & Oleum balſamicum deſtillari poſſit, quae in paludibus creſcit ad altitudinem trium pedum, uti notatur in *Cod. Witſ.* ubi Bellis Camphorifera, aquatica, Africana, flore albo odorato vocatur. a *Caſp. Commel. in Catal. MSto.* Leucanthemum Africanum, aquaticum, camphoriferum. & Bellis fruteſcens, Camphorata, foliis anguſtis, craſſis, acutis. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 5. Bellis Africana, umbellata, fruteſcens, odore Camphorae *Par. Bat. App. p.* 5. & Bellis major Africana, Camphoram redolens, aut potius Zedoariam. *Plukn. Almag. p.* 65. & Bellis Capenſis Camphorifera, foliis Lini incanis *Petiv. Hort. Sicc.* apud *Ray tom.* 3. *p.* 242. ut & Bellis Africana, fruteſcens, Camphorata Oldenlandii, D. *Hermanſ.* apud *Ray tom.* 3. *p.* 221, ubi breviter

viter ſequenti modo deſcribitur, „Rami lignoſi & craſſiuſculi „ ſunt, foliis oblongis, anguſtis, acutis, nullo ordine poſi„ tis, Hyſſopi magnitudine & figura fere, pediculis deſtitu„ tis, undique cincti ad ipſos uſque flores, qui in ſummis cau„ libus, & ramulis plures ſimul exiſtunt, diſco medio luteo, „ & barbulis albis conſtantes.

Ex denominatione tot auctorum videtur planta ſatis obvia, & frequens in Capite Bonae Spei, mirandum tamen, quod tam diu indeſcripta, nec melius depicta hactenus fuerit, ab *Alb. Seba* in *theſ. Part. I. Tab. XVI. Fig.* 3. exhibetur, Bellis Capitis Bonae Spei aquatica, camphorata, umbellata, frutеſcens, foliis longis, craſſis, acutis, quae ad ſiccam plantam videtur inciſa, noſtra vero ad vivam magis perfecta, cum floribus & ſeminibus eſt delineata.

LEUCANTHEMUM fruticoſum, foliis linearibus, confertis.

Tab. LVIII. *Fig.* 2.

FRuteſcens & haec planta eſt, quae ramos gerit lignoſos, longos, ſeſquiſpithamales, in minores tenuioresque in ſummo diviſos, qui folia dant plurima, viridia, tenuiſſima, parva, anguſta, acuta, linearia, in majoribus ramis quatuor plurave ſimul collecta, incerto ordine poſita; Flores ramulorum ſummum terminant ſolitarii, uti in praecedenti ſpecie, ſed teneriores ac tenuiores, radio albicante, diſco purpureo conſtantes, qui ſemina dant oblonga, craſſa, *a* irregularis figurae. in *Cod. Witſ.* vocatur Chryſanthemum Africanum fruteſcens, Ericae folio, flore albo. ubi notatur, quod in ericetis inprimis creſcat ad altitudinem duorum pedum. a *Caſp. Commel. in Catal. MSto.* nominatur Bellis Africana, fruteſcens, flore albo, Ericae folio.

BELLIS foliis ſinuoſis, flore carneo.

Tab. LVIII. *Fig.* 3.

EX radice tenuiſſima fibrilloſa, nigricante oritur haec planta humilis, folia gerens oblonga, lata, ſinuoſa, craſſa, viridia, ex quorum medio flos erigitur ſatis longo petiolo inſidens, ſolitarius, magnus, plenus, diſco rubente, radiis carneis ad oras autem purpuraſcentibus, forma & ſtructura uti in Europaeis Bellidis ſpeciebus, atque hanc ex Collect. D. *vander Stell* producimus, quam apud nullum notatam obſervare potui auctorem.

SOLIDAGO *foliis oblongis, dentatis, glabris, floribus magnis, umbellatis.*

Tab. LIX.

FRutex hic in montibus inter rupes creſcit ramos gerens craſſos, plurimis foliis ex uno centro quaſi umbellatim provenientibus gaudentes, quae folia ſeſſilia ſunt, tenuiori baſi orta, ſenſim dilatata, obtuſe deſinentia, glabra, ſplendentia, venoſa, ad oras hinc inde inſtar Agrifoliorum dentata, cum quorum foliatura hujus plantae folia maxime conveniunt; ex horum centro caules floriferi, longi proveniunt in petiolos craſſos, firmos diviſi, qui ſinguli florem ſuſtinent unicum, magnum, oblongum, calice profunde diſſecto, ſquamoſo *a* contentum, qui flos explicatus inſtar ſtellae radiatus apparet, diſco intermedio ex plurimis floſculis compoſito, atque hi ſemina dant minima, tenuiſſima, plumoſa, ciliaria, fuſca. *b* in *Cod. Witſ.* vocatur Chryſanthemum Africanum, montanum fruteſcens, rotundifolium, a *Caſp. Commel. in Catal. MSto* Jacobaea Africana, fruteſcens, Aquifolii folio. & ab *Hermann. in Catal. Pl. Afric. p.* 14. Jacobaea Africana, lutea, folio obtuſo, dentato. Doria hoc genus a *Rayo*, *Boerhaavio* & *Dillenio* nominatur, quod Solidago *Linnaeo* dicitur, cujus characterem definivit in *Char. Pl. gen. num.* 651.

SO-

Tab. LIX.



SOLIDAGO foliis oblongis, dentatis, glabris, floribus magnis, umbellatis.





TAGETES foliis instar cornu cervi diviſis, flore ſulphureo, reſlexo.

SOLIDAGO folio anguſto, dentato, flore pentapetalo, ſeminibus oſseis.

CHRYSANTHEMOIDES frutescens, foliis profunde laciniatis, & acute dentatis.

SOLIDAGO folio anguſto, dentato, flore pentapetalo, ſeminibus oſſeis.

Tab. LX. Fig. 1.

HUmilis haec planta ex radice longiſſima, lignoſa, repente, nigricante oritur, quae ſupra terram etiam fibrillas radicales *a a* undique emittit, & prorependo ſeſe propagat, folia gerens plurima ſimul collecta, oblonga, anguſta, dentata, craſſa, ſucculenta, viridia, e quorum centro florum petiolus erigitur longus, ſemiſpithamalis, rotundus, ſucculentus, viridis, in ſummo ſuſtentans florem ſolitarium, calice profunde dentato *b* contentum, radiatum, radiis quinque latis ligulatis conſtantem, corollulis numeroſis diſcoidibus inſtructum; quae ſemina dant ſolida, magna, oblonga, anguloſa, verticaliter inpoſita *cc*, coronata pappo ciliari *d*, uti in marginalibus figuris conſpicitur. In Collect. Cl. *vander Stell* hanc ſingularem invenimus plantam, ubi Chryſanthemum Africanum paluſtre vocatur, & dicitur, quod in aquoſis inprimis creſcat locis. Peculiaris haec planta inter Solidaginem & Oſteoſpermum quaſi media eſt, quum de utroque genere multum participet, novoque hinc generi ſtatuendo ſollicitis Syſthematicis facile anſam praebebit.

TA-

TAGETES foliis inſtar cornu cervi diviſis, flore ſulphureo, reflexo.

Tab. LX. Fig. 2.

RAmi hujus plantae ſunt craſſi, virides, ſucculenti, rotundi, glaberrimi, folia ejusdem naturae emittentes multifariam ac inſtar Cornu Cervi diviſa, quae incerto ordine in ſegmenta acuta, reflexa, anguſta ſunt inciſa; Flos petiolo longiſſimo, ſpithamali, ſimplici inſidet ſolitarius, qui elegantis ſulphurei eſt coloris ex plurimis radiis planis, reflexis conſtans, cum numeroſis corollulis tubuloſis diſcoidibus, uti in aliis Tagetes ſpeciebus, de hoc flore in *Cod. Witſ.* notatur, quod ſit grati odoris, calefaciens, & fomentis optime inſervire poſſit, qui ab Hottentottis vocatur *Cabaroë*, & menſe Septembri anni 1685 eſt obſervatus, qualis delineatus in tabula conſpicitur. cum quo forte convenit Tagetes minimus, tenuiter diviſo folio Capitis Bonae Spei *Breyn Prodr.* 2. *p.* 99.

CHRY-

JOANNIS BURMANNI,

Med. Doct. & in Horto Medico Amſtelaedamenſi Botanices Profeſſoris,

RARIORUM AFRICANARUM PLANTARUM,

Ad vivum delineatarum, Iconibus ac deſcriptionibus illuſtratarum

DECAS SEPTIMA.



AMSTELÆDAMI,
Apud HENRICUM BOUSSIERE.

MDCCXXXIX.

VENERANDO AC DOCTISSIMO VIRO
FRANCISCO BURMANNO,
APUD NEOMAGENSES PASTORI
FIDELISSIMO,
NEC NON
ORNATISSIMO VIRO,
ABRAHAMO BURMANNO,
INTER AMSTELAEDAMENSES
MERCATORI IN HAC URBE
FELICISSIMO VIGILANTISSIMO,
ATQUE
DOCTISSIMO ET CLARISSIMO VIRO,
PETRO BURMANNO,
J. U. D. IN ACADEMIA FRANEQUERANA
PROFESSORI HISTORIARUM
ET ELOQUENTIAE ORDINARIO;
FRATRIBUS CONJUNCTISSIMIS,
AMANTISSIMIS,

Septimam hanc Decadæ
fraterno amore dedicat

JOANNES BURMANNUS.

CHRYSANTHEMOIDES frutefcens, foliis profunde laciniatis, & acute dentatis.

Tab. LX. *Fig.* 3.

FRuteſcens haec planta eſt, cujus rami cortice ſcabro, fuſco obducuntur, e quibus folia propullulant profunde admodum laciniata, anguſta, viridia, glabra, acutis inciſionibus dentata, ex horum alis flores eriguntur ſolitarii, petiolo tenui, ſeſquiunciali, rotundo, viridi, inſidentes, qui calice ſimplici, multipartito, oblongo continentur, ex duodecim radiis reflexis aequalibus compoſiti, cum diſco intermedio coloris pallide lutei. Ex *Cod. Witſ.* hanc plantam producimus, quae cum antecedente menſe Septembri anni 1685 detecta eſt, de qua dicitur, quod dulcis & jucundi ſit odoris, & apta ſit pro Cataplaſmate in frigidis contracturis. an Oſteoſpermi vera ſit ſpecies, quum ſemina adpicta ſint nulla, pro certo concludere nequeo, floris tamen forma ac ſtructura, ut & plantae habitus fruteſcens ſic ſuadent. proxime enim convenit cum Chryſanthemoide Oſteoſpermo, Africano, odorato, ſpinoſo & viſcoſo, a *Caſp. Commel. in Hort. Amſt. part.* 2. *cap.* XLIII deſcriptio, a quo tamen foliatura multiplici, flore repando, miti glaberrimaque ſtructura differt.



OSTEOSPERMUM frutescens, ſubrotundis foliis, ad oras dentibus rubris notatis.

OSTEOSPERMUM fruticans lanuginoſum, foliis oblongis, dentatis.

PLANTARUM AFRICANARUM DECAS SEPTIMA.

OSTEOSPERMUM frutescens, ſubrotundis foliis, ad oras dentibus rubris notatis.

Tab. LXI. Fig. 1.

RAmi hujus fruticis ſunt magni, bipedales, cortice ſcabro pallido obducti, qui folia incerto ordine emittunt brevibus petiolis adfixa, lata, ſubrotunda, craſſa, venoſa, ad oras dentibus eleganter rubentibus notata, in ramorum ſummo ſenſim minora, & anguſta, ubi flores eriguntur ſparſi, magni, ſolitarii, calice ſimplici diſſecto contenti, qui conſtant radiis latis, planis, denis duodenisve cum corollulis numeroſiſſimis diſcoidibus, elegantiſſimi lutei coloris, poſt has ſequuntur ſemina ſex utcunque in orbem poſita oblonga, globoſa, viridia *aa*, nucleum continentia oſſeum, ſeu inſtar lapidis durum, oblongo-acutum, griſeum *bb*, unde Oſteoſpermum hoc genus a *Linnaeo* in *Char. Pl. gen. num.* 673. vocatum eſt, quod Chry-

ſanthemoides Oſteoſpermum olim a *Caſp. Commel.* vocatum fuit, atque haec planta ab ipſo in *Catal. MSto* vocatur Chryſanthemoides Oſteoſpermum, Africanum, Ulmi folio, in *Cod. Witſ.* Solanum Africanum latifolium, flore luteo. ubi dicitur, quod prope montes in foſſis ſeu locis profundioribus creſcat, ad quatuor pedum altitudinem. Forte eſt Chryſanthemi flore arbor Africana, fructu rotundo, fungoſo, Piſi amplitudine, in quo nucleus parvus, albus, ſaporis ſuaviſſimi *Hermanni* in *Ray tom.* 3. *p.* 218. *num.* 92. Proxime haec ſpecies convenit cum illa, quae Chryſanthemum Populi albae foliis a *Breyn.* in *Cent. p.* 155. vocatur, ſed ubi minus feliciter exprimitur, a *Dillen.* vero in *Hort. Eltham.* Optima hujus figura data eſt cum accuratiſſima plantae deſcriptione.

OSTEOSPERMUM fruticans, lanuginoſum, foliis oblongis, dentatis.

Tab. LXI. Fig. 2.

A praecedenti differt hic frutex, quod in omnibus minor, & tenerior videatur, ramos gerens duplo minores, qui folia habent oblonga, ſcabra, ad oras dentata, ſenſim ad ramorum extremum minora, ubi etiam lanuginoſa admodum ſunt, lanugine alba, molli praeſertim ad inferiorem eorum partem obducta, quae inter ramulos floriferos undique diſpergitur. Flores petiolis foliaceis inſident ſolitarii, quintuplo minores, quam in antecedente, forma caeterum convenientes, qui ſemina dant oblonga, glabra, obtuſa, fuſca *aa.* a Domino *Garcin* ante aliquot annos hanc accepi ex ejus herbario Plantis Indicis, praeſertimque Capenſibus, & Perſicis refertiſſimo, quem ingenue & candide nuper totum mihi conceſſit, ex quo in poſterum rariſſimas producemus plantas aliis omnino praeteritas, huic autem plantae nomen erat Chryſanthemoides Africana, fruteſcens, lanuginoſa, folio oblongo, dentato. quod forte Chryſanthemum Africanum, foliis anguſtis, dentatis. *Herm. Cat. Pl. Afric. p. 7.*

OSTEOSPERMUM foliis ſcabris, ſinuoſis, denticulatis.

Tab. LXII.

FRuteſcens haec itidem planta videtur, ramos gerens laxos, diviſos, bipedales, folioſos, qui folia gerunt ſeſſilia, magna, lata, oblonga, in varios ſinus, inſtar Agrifolii, cum dentibus acutis exaſperata, & ad oras inprimis piloſa, caeterum ſcabra, hirta, nervoſa, pallide virentia, ac ſubtus quodammodo incana. Ramulorum ſummum terminant flores ſolitarii, petiolis uncialibus ex foliorum alis erumpentibus inſidentes, qui calice multifido, radiato, in anguſta acuta, aequalia ſegmenta diviſo, & magnitudinem floris adaequante continentur, Florum radii ſunt plani, oblongi, aequales, numerum denarium utcunque excedentes, lutei coloris cum diſco concolore intermedio. Semina in elegantiſſima *Cod. Witſ.* Figura non ſunt expreſſa, unde, an re vera Oſteoſperma ſint, pro certo aſſerere non auderem, forma tamen florum & totus plantae habitus ſic ſuadent, vocaturque in memorato *Codice* Chryſanthemum Africanum, montanum, flore luteo, folio ſpinoſo. ubi dicitur, quod in montibus creſcat, florens Septembri, a *Caſp. Commel. in Catal. MSto* vocatur Chryſanthemum Africanum, Agrifolii folio. ab *Hermann. in Catal. Pl. Afric. p. 7.* Chryſanthemum Africanum, folio Erucae Canadenſis *Cornuti*, ſive ramoſum, floribus parvis. videturque eſſe Chryſanthemum lanatum, crenatis foliis Aethiopicum. *Plukn. Almag. p.* 102. *Tab.* 274. *Fig.* 5. quae ruditer expreſſa eſt. & in *Ray tom.* 3. *pag.* 211. breviter deſcribitur. an Chryſanthemum fruteſcens, Aethiopicum, odoratum, foliis Thymaelaeae ſerratis & incanis *Breyn. Prodr.* 2. *p.* 32?

OS-



OSTEOSPERMUM *foliis ſcabris, ſinuoſis, denticulatis.*



OSTEOSPERMUM *foliis simplicibus, obtuſis.*

CHAMAEMELUM *pumilum, foliis anguſtis, pinnatis.*

OSTEOSPERMUM foliis ſimplicibus, obtuſis.

Tab. LXIII. *Fig.* 1.

FRutex hic ramos gerit craſſos, pedem & ultra longos; glabros, virides, in minores ramulos diviſos, quibus folia adcreſcunt numeroſa, ſimplicia, integra, obtuſa, anguſta, craſſa, Sedi forma, forte & ſucculenta, glabra, viridia, incerto ordine locata. Flores in ramorum ſummo proveniunt, magni, ſolitarii, ſinguli ſingulo petiolo longo, glabro, rotundo, flavo inſidentes, qui calice glabro, ad oras laeviter dentato, ſtriato *a* continentur, atque in amplos radios, oblongos, aequales, ſulphureos extenduntur, diſco intermedio, eleganti puniceo; poſt hos ſequuntur ſemina conica, griſea, oſſea *b*, uti in congeneribus. Atque hanc plantam ex *Cod. Witſ.* producimus, ubi Chryſanthemum Africanum, montanum, fruteſcens, flore luteo vocatur, & notatur, quod inter rupes ad montes creſcat tres pedes alta. ab *Herman.* in *Catal. Pl. Afric. p.* 7. denominari videtur Chryſanthemum Africanum, foliis Lini craſſioribus, caule folioſo. cujus varietas habenda eſt, qui dicitur Aſter Africanus; flore amplo aureo, foliis anguſtis, rigidis, in acumen abeuntibus D. *Sherard.* in *Ray tom.* 3. *p.* 158. *num.* 21. ubi ejus deſcriptio.

CHA-

CHAMAEMELUM pumilum, foliis anguſtis, pinnatis.

Tab. LXIII. Fig. 2.

EX radice tenui, fibroſa, ſimplici, fuſca oritur haec puſilla planta, quae ſtatim in varios dividitur ramos ſimplices, vix diviſos, qui folia gerunt anguſta, acuta, in pinnas tenues aequales oppoſitas diviſa, inpari extremum claudente. Flores ramulis inſident ſolitarii, ratione plantae ſatis ampli, in radios aequales, oblongos extenſi, exterius violaceos, interius albicantes, uti in Caltharum Africanarum a *Caſp. Commel.* in *Hort. Amſtel. part.* 2. deſcriptarum ſpeciebus obtinet, atque hi calice ſquammoſo, imbricato, rigido ac ſplendente continentur, de ſeminibus autem mihi non conſtat, & ex *Herbar. Witſ.* hanc prodimus. quae a *Pluknet in Almag. p.* 98. vocatur Chamaemelum Aethiopicum, minimum, incanum, & in *Phyt. Tab.* 275. *Fig.* 7. ex planta emarcida ruditer inſculpta conſpicitur. Huc & pertinet Chamaemelum Africanum, pumilum, Ericae folio. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 6.



CHRYSANTHEMUM *foliorum pinnis breviſsimis, dentatis.*

CHRYSANTHEMUM foliorum pinnis breviſſimis, dentatis.

Tab. LXIV.

DUos circiter pedes alta haec planta excreſcit forma fruticis, erecta, nunc ſimplex, ſaepius in ramos diviſa, quae ex radice lignoſa, longa, repente, ſimplici, parum fibrilloſa, fuſca, exſurgit ad ramos foliis creberrimis veſtita, quae ſunt tenuiſſima, pinnata, acute dentata, brevia, ſcabra, viridia. Ex ramorum ſummo petiolus egreditur longus, ſemiſpithamalis, ſimplex, firmus, florem ſuſtinens ſolitarium, luteum, amplum, diſcoideum, radiatum, calice ſquamoſo, lato, ſcabro, & imbricato contentum, cujus ſegmenta ſuperiora, radiorum axi ſuppoſita ſunt laxiora, majora, pellucida, ac membranacea, cum fructu perſiſtentia ac immutata *a*, fructus autem componitur ex ſeminibus plurimis nudis, in diſco contentis, ſingulis oblongis, tridentatis, fuſcis *b*, a *Caſp. Commel.* in *Catal. MSto* vocatur Chryſanthemum Africanum, fruteſcens, Chamaemeli Romani foliis. in *Cod. Witſ.* Chryſanthemum Africanum, flore luteo, ubi notatur, quod prope montes locis humidis creſcat, florens Octobri. cum quo convenit Chryſanthemum Aethiopicum, foliolis brevibus, rigidiuſculis ſubhirſutum, flore minore. *Plukn. Almag. pag.* 103. & *Phyt. Tab.* 276. *Fig.* 2. ut & Chryſanthemum Thapſiae foliis Aethiopicum, flore parvo ſingulari *Plukn. Mantiſſ. pag.* 48. & *Phyt. Tab.* 382, *Fig.* 5. huc & pertinet Chryſanthemum Africanum, foliis ſcabris Coronopi. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 7.

ASTER foliolis integris, anguſtis, flore magno, luteo.

Tab. LXV. Fig. 1.

IN humidis locis Capitis Bonae Spei haec planta invenitur, quae ramoſa admodum eſt, in plurimos minimos ramos diviſa, qui folia gerunt ſimplicia, parva, anguſta, integra, obtuſe deſinentia, glabra. In ramulorum ſummo flos erigitur ſolitarius, magnus, radiatus, flaveſcens, calice ſquamoſo diſſecto *a* contentus, relinquens ſemina oblonga, ſtriata *b*, pappo ciliari inſtructa *c*, plurima ſimul congeſta & floris calice ſuſtentata *d*. In *Cod. Witſ.* Chryſanthemum Africanum, paluſtre, vocatur. qui forte Aſter Africanus, fruteſcens, luteus, Ericae folio *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 5. ut & Aſter fruticoſus Africanus luteus, foliis Thymelaeae figura & ſitu aemulis *Ray tom.* 3. *p.* 161. *num.* 42.

ASTER foliis longis, integris, anguſtis, flore, magno, luteo.

Tab. LXV. Fig. 2.

HUmilis haec planta e radice ſimplici, brevi, fibroſa, fuſca ſuum habet ortum, quae ſtatim in ramos dividitur ſimplices, tenues, folioſos, qui folia gerunt longa, anguſta, integra, viridia, glabra. Flores petiolis longiſſimis ſimplicibus inſident magni, ſolitarii, lutei, radiati, calice ſimplici diſſecto contenti, ſemina in *Collect.* Plantarum D. *vander Stell* non ſunt annotata, unde incertum, ad quodnam proprie haec planta pertineat genus, multum videtur mihi participare de Aſteroplatycarpo *Commel. in Hort. Amſtel. part.* 2. *pag.* 63. exhibito, quod, an verum, fructus ſeu ſemina determinare poſſent.

XE-



ASTER *foliolis integris angustis, flore magno, luteo.*

ASTER *foliis longis, integris, anguſtis, flore magno, luteo.*

XERANTHEMUM frutescens, lanuginoſum, foliis longis, mollibus, flore argenteo, ampliſsimo.



XERANTHEMUM, tomentoſum, latifolium, flore maximo.

XERANTHEMUM frutescens, foliis linearibus anguſtiſsimis, capitulis ſulphureis.

XERANTHEMUM fruteſcens, lanuginoſum, foliis longis, mollibus, flore argenteo, ampliſſimo. *Tab. LXVI. Fig. 1.*

Fruteſcens haec elegantiſſimaque Xeranthemi ſpecies tota quanta mollis, & lanuginoſa, quae ramos dat longiſſimos, bipedales fere, craſſos, rotundos, lanugine undique & foliis creberrimis obſitos, quae ſunt longa, aequalia, acute deſinentia, anguſta, craſſa, lanugine molliſſima, ſericea undique inveſtita, in inferiore ramorum parte frequentiſſima, ſenſim rariora, in ſummo brevia & vaga, ubi flores progerminant ſolitarii, ſeſſiles, ampliſſimi, calice ac radiis argenteis ſplendidiſſimis conſtantes, diſco ſeu umbone intermedio, fuſco, ſemina uti in aliis congeneribus efformantes. Atque hanc plantam denominari cenſeo ab *Hermann.* in *Catal. Plant. Afric. p.* 23. Xeranthemum Afric. fruteſcens, lanuginoſum, floribus argenteis, ampliſſimis, umbone fuſco. cujus & alteram varietatem poſſideo, quae minori flore gaudet, & ipſi vocatur Xeranthemum Africanum, foliis tomentoſis, longis, capitulis argenteis, minoribus. quae in *Ray tom.* 3. *p.* 181. etiam proponuntur, ubi Xeranthemum Africanum, perenne, Gnaphalii foliis tomentoſis majoribus *num.* 8. cum hac convenit, cum illa autem, quam exhibemus, Xeranthemum Africanum, ramoſum, floribus albis magnis, apicibus nigris, foliis Gnaphalii anguſtioribus, tomentoſis, oblongis. *ibid. p.* 182. *num.* 12. cujus & aliae varietates ibi proponuntur. Eſtque haec porro Xeranthemum ſpecioſum, Capenſe, flore albo, maximo *Petiv. Gazoph. Tab.* 1. *Fig.* 9. & *Centur. num.* 500. ut & *Ray tom.* 3. *p.* 239. *app.* Quae Chryſocome ſine Argyrocome Gnaphaloides, Africana, ampliſſimis floribus a *Breyn Prodr.* 1. *p.* 27. vocatur, ac deſcribitur. & a *Seb.* in *theſ. part.* 2. *Tab.* 43. *Fig.* 6. minus perfecte exhibetur.

XERANTHEMUM, *tomentoſum, latifolium, flore maximo.*

Tab. LXVI. *Fig.* 2.

RAmi hujus plantae ſunt ſpithamales, rotundi, craſſi, villoſi, cinerei, creberrimis foliis concoloribus ac tomentoſis obſiti, quae pollicem circiter ſunt lata, duos vero longa, acute deſinentia, craſſa, undique villoſa, ex horum centro caulis erigitur ſpithamalis, craſſus, rotundus, itidem villoſus, ac incanus, uno alterove foliolo acuto amictus, in ſummo ſuſtinens florem ampliſſimum, diſcoideum, diſco protuberante ſericeo, flavo conſtantem, qui radiis innumeris oblongo-acutis, aequalibus, elegantiſſime ſplendentibus ornatur, ſemina pappoſa oblonga, ſericea efformans. Atque hanc cum antecedente in *Herb. Witſ.* inveni, quam puto eſſe Xeranthemum Africanum, frutefcens, lanuginoſum, capite ſulphureo, amplo. *Herman. Catal. Pl. Afric. p.* 23. & Xeranthemum Africanum, foliis tomentoſis ad Conyzam mediam accedentibus, brevioribus, flore maximo, pallide ſulphureo, umbone protuberante. D. *Sherard. in Ray tom.* 3. *pag.* 181. *num.* 7. ubi & alias hujus vide varietates. huc & ſpectat Chryſocome flore aureo, amplo, Conyzae mediae foliis, Capitis Bonae Spei: *Breyn. Prodr.* 2. *p.* 32.

XE-

XERANTHEMUM fruteſcens, foliis linearibus anguſtiſſimis, capitulis ſulphureis.

Tab. LXVI. *Fig.* 3.

Fruteſcens & haec ſpecies eſt, ramos emittens pedales, ſimplices, anguſtos, qui foliis creberrimis irregulari ordine undique cinguntur. Folia autem ſunt tenuiſſima, anguſtiſſima, linearia, integra, acuta, lanuginoſa, uti & totus ramus incanus eſt, qui in ſummo gerit flores plures, ſex ſeptemve collectos, in caput coacervatos ſubrotundum, ſplendens, ſulphureum, calice lato, ſquamoſo, ſplendente contentum, petalis brevibus conſtans, unde minores hi flores ſunt, quam in plurimis aliis ſpeciebus, umbo autem fuſcus ſeu nigricans apparet. Vocaturque Xeranthemum Africanum, fruteſcens, lanuginoſum, capitulis ſulphureis, minoribus *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 23. videturque eſſe varietas illius, quae Xeranthemum Africanum, ramoſum, floribus albis paulo majoribus, foliis Gnaphalii anguſtis, oblongis, caulem & ramulos ad ipſos uſque flores cingentibus. *Ray tom.* 3. *p.* 181. *n.* 11. & Elichryſum peregrinum, anguſtifolium, totum incana lanugine obſitum, floſculis ſpadiceis, in apices citrinos deſinentibus, calice ſpecioſo candido. *Sebae Theſ. Part.* 1. *Tab.* 23. *Fig.* 3. & Chryſocome, ſive Argyrocome Africana, Ericoides, flore ſulphureo. *Breyn Prodr.* 1. *p.* 29.

XERANTHEMUM incanum, foliis oblongo-acutis, capitulis plurimis, argenteis.

Tab. LXVII. *Fig.* 1.

RAmi hujus plantae ſunt pedales, rotundi, lignoſi, lanugine cinerea undique obſiti, in minores rarius diviſi, qui folia gerunt plurima, vaga, incerto ordine diſpoſita, lata baſi caules inveſtientia, ſunt autem craſſa, venoſa, anguſta, aequalia, oblongo-acuta, mollia, lanuginoſa. Flores in ramorum ſummo locantur comoſi, plurimi ſcilicet collecti, petiolis longis, mollibus, primo communibus, dein propriis inſidentes, qui conſtant ex petalis pluribus rigidis, lucidis, albicantibus ſquammato quaſi ordine, ſeu imbricatim poſitis, firmiſſime cohaerentibus, petala autem florum a calicis vix diſtingui poſſunt, ſingulaque triangulum acutum conſtituunt, elegantiſſimi ſplendentis albentisque coloris, diſco intermedio obſcure flaveſcente, qui diſſolutus in tenuiſſima, oblonga, pappoſa ſemina diſſilit. Ex *Herbar. Witſ.* hanc producimus, quae ab *Hermann. in Catal. Pl. Afric. p.* 23. vocatur Xeranthemum Africanum, foliis tomentoſis, longis, capitulis argenteis, minoribus. Cui accedit Xeranthemum Africanum, latifolium, lanuginoſum *Herman. Catal. ad finem Parad. Bat.* quod in *Ray tom.* 3. *p.* 182. ſub *num.* 13. deſcribitur.

XE-



Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

XERANTHEMUM *incanum, foliis oblongo-acutis, capitulis plurimis, argenteis*

XERANTHEMUM *ramoſum, foliolis ſquamosis linearibus, floribus, argenteis.*

XERANTHEMUM *ramoſum, foliolis simplicibus, capite spinoso.*

XERANTHEMUM ramoſum, foliolis ſquamoſis linearibus, floribus argenteis.

Tab. LXVII. Fig. 2.

ALtiſſime haec planta exſurgit fruticis forma, quae ramos gerit lignoſos, rotundos, plurimos, ſimplices, minores vimineos emittens ramulos, qui foliolis undique teguntur ſquamoſis, anguſtis, linearibus, quae in ramulorum ſummo creberrima, atque inſtar ſquamarum imbricatim ſibi inponuntur, interſperſa lanugine laevi, albicante, ex horum ramulorum ſummo flores eriguntur ſolitarii, ſeſſiles, magni, ex calice, & petalis argenteis, ſplendentibus inmaculati elegantiſſimique coloris conſtantes, qui ut in aliis congeneribus diutiſſime perennant, vigoremque ac ſplendorem ſeros in annos ſervant, unde nobiliſſimum hoc eſt genus, quod Helichryſi ſpeciebus ob majus florum decus & amplitudinem, licet & illarum flores elegantiſſime quoque fulgent & perennant, praeferendum videtur. Noſtra caeterum planta ab *Hermann.* in *Catal. Plant. Afric. p.* 23. vocatur Xeranthemum Africanum, fruteſcens, caulibus Geniſtae, foliis junceis, capitulis copioſis argenteis; & Xeranthemum Africanum, ramoſum, flore minore albo, lucido, foliolis minimis, laevibus, cauli & ramulis appreſſis. in *Ray tom.* 3. *p.* 181. *num.* 10. ubi brevem ejus cum hac confer deſcriptionem. hujus & altera varietas eſt inferius longioribus gaudens foliis, caeterum conveniens, quae a *Pluknet. in Amalth. p.* 213. vocatur Xeranthemum Seſamoides flore albo, Ericae foliis cauli tomentoſo adſtrictis, ad radicem vero Stoechadis Citrinae longioribus & ſolutis, quam in

Phyt.

Phyt. Tab. 449. *Fig.* 5. exhibet, & eſt Chryſocome ſive Argyrocome Africana, Ericoides Capitis Bonae Spei *Sebae theſ. part.* 2. *Tab.* 43. *Fig.* 5. quae in *Breyn Prodr.* 1. *p.* 28. deſcribitur & Chryſocome ſive Argyrocome Africana, Ericoides, flore albo dicitur, in *Prodr.* autem 2. *pag.* 15. vocatur Argyrocome Ericoides, ſive foliis Rosmarini anguſtioribus, flore argenteo, Capitis Bonae Spei.

XERANTHEMUM ramoſum, foliolis ſimplicibus, capite ſpinoſo.

Tab. LXVII. *Fig.* 3.

HUmilis haec planta videtur in plurimos lignoſos, ſimplices, rotundos, lanuginoſosque ramos diviſa, foliola gerentes alterna, integra, ſimplicia, utrimque viridia; Ramulorum ſummum terminat caput oblongum, ex plurimis rigidis, ſplendentibus, flavis aculeatis ſegmentis conſtructum, quae ſunt florum petala ſquammato ordine imbricatim firmiſſime ſibi invicem juncta, ſuccincta minoribus tenuioribusque rigidioribus aculeis calicis vices agentibus. Semina autem intus contenta ſunt lata, mollia, flava, pappo ciliari albo ſplendente ornata. Atque hanc plantam ex communicatione D. *Joh. Freder. Gronovii* publicae luci exponimus, quae a *Breyn in Prodr.* 2. *p.* 105. vocatur Xeranthemum ſpinoſum, Aethiopicum, capitulis compactis purpuraſcentibus. an Jacea Oleae foliis capite ſpinoſo, flore rubello *Plukn. Almag. p.* 193. huic ſimilis, quae a *J. B. tom.* 3. *lib.* 5. Xeranthemi ſpecies dicitur.

XE-

COMA aurea incana, foliis obtuſis tridentatis, capitulis oblongis.



COMA aurea foliis oblongis, raro tridentatis, capitulis majoribus.

COMA aurea, foliis multifidis, glaucis, floſculis muſcosis.

XERANTHEMUM incanum, foliolis ſubrotundis, flore purpureo.

XERANTHEMUM incanum, foliolis ſubrotundis, flore purpureo.

Tab. LXVIII. Fig. 1.

HUmilis haec videtur planta, ex radice craſſa, lignoſa ac fungoſa proveniens, caulem unum alterumve emittens ſemiſpithamalem, in alium minorem ſimplicem diviſum, qui foliolis undique veſtitus eſt ſeſſilibus, ſubrotundis, craſſis, incanis, incerto ordine cauli proxime accumbentibus, ſenſim anguſtatis, in ſummo caulis minimis, ubi flos exoritur ſolitarius, purpureus, elegantiſſime ſplendens, calice expanſo, ſquammoſo, imbricato contentus, mediae magnitudinis, forma & ſtructura uti in congeneribus, eodemque modo ſemina perficiens; in *Herbar. Witſ.* hanc ſingularem inveni plantam, quam ab *Hermann. in Catal. Pl. Afric. pag.* 23. denominari puto Xeranthemum Africanum minus, capitulis breviſſimis, argenteis, foliis caulem amplectentibus: noſtrae vero capitula ſunt purpurea, unde duae hujus forte varietates. Xeranthemoides hoc genus, a *Dillen. in Hort. Elth. p.* 433. vocatur, de quo dicit, „ Xeranthemi ſimilem hoc genus calicem habet ſpecioſum, „ nempe expanſum, ſed differt ſeminibus papposis & floſculorum ſtructura, ſeu qui uniformes & unius figurae ſunt, „ Elichryſi floribus ſimiles, a cujus genere calice radiato, & „ pappo plumoſo diſtinguitur: Quibus notis addi poteſt, flo- „ res non glomeratim, ſed ſparſim naſci.“ ubi porro *pag.* 434. duodecim hujus recenſet ſpecies.

COMA aurea foliis oblongis, raro tridentatis, capitulis majoribus.

Tab. LXVIII. Fig. 2.

RAmi hujus fruticis ſunt ſimplices, longiſſimi, fere bipedales, rotundi, virides, glaberrimi, e quibus folia alternatim exeunt latiore baſi ſeſſilia, oblonga, integra, ad finem aliquando laeviter tridentata, glabra, viridia. Ramorum ſummum terminant flores plurimi comoſi, in capitula ſubrotunda majora collecti, diſcoidei, nudi, forma & ſtructura, uti in aliis congeneribus, a quibus haec planta foliatura inprimis differt, quae in *Herbar. Witſ.* tantum mihi obvenit, apud nullum alium, quantum novi, notata auctorem, proxime autem convenire videtur cum illa, quae a *Caſp. Commel. in Hort. Amſt. part. 2. p. 97.* vocatur Coma aurea Africana fruticans, foliis glaucis, & in extremitate trifidis, cujus ramuli teneriores foliis tridentatis itidem gaudent, ſed profundius dentatis, quum noſtrae leviter tantum ſint aliquando tridentata, glabra, atque viridia, quo differt. Noſtraque forte eſt Ageratum Africanum, foliis Tithymali Paralii anguſtioribus. *Herm. Cat. Pl. Afric. p. 1.*

COMA

COMA *aurea incana, foliis obtuſis, tridentatis, capitulis oblongis.*

Tab. LXVIII. Fig. 3.

AB antecedente differt haec, quod tota quanta ſit incana, ramoſque teneriores gerat vix ſpithamales, rotundos, e quibus folia tenuiſſimo ortu progerminant, ſenſim dilatata, in ſummo obtuſa & tridentata, craſſa, venoſa, incana. Flores in ramulorum ſummo locantur pauciores ac minores, in capitula oblonga, aurea, ſplendentia, Elichryſi more, collecti, unde forte, quum ſemina non viderim, eo pertinet. an Baccharis Africana, tomentoſa & incana, trifido, folio. *Vaill. act.* 1719. *p.* 415? cum prioribus in *Herbar. Witſ.* inveni.

COMA *aurea, foliis multifidis, glaucis, floſculis muſcoſis.*

Tab. LXVIII. Fig. 4.

FRutex hic ramos gerit craſſos, ſpithamales, rotundos, ſcabros, ſuperne tomentoſos, ubi folia plurima undique progerminant vaga, incerto ordine locata, longiſſima, in pinnas ſimplices, oppoſitas, tenues diviſa, inpari extremum claudente, unde trifida ibi apparent, ſunt autem glauca ac ſucculenta inſtar Crithmi marini, unde alia hujus ſpecies, quae folia itidem gerit multifida a *Caſp. Commel.* Coma aurea Crithmi marini foliis in *Hort. Amſt. part.* 2. vocatur. noſtra autem differt non tantum foliis glaucis, ſed inprimis floribus, qui in ſummo caulis numeroſiſſimi, minimi, muſcoſi, in umbellulas plurimas collecti proveniunt, qui in *Commel.* planta decuplo,

& ultra majores ſunt in capitula collecti, quum in noſtra planta ex meris umbellulis conſtant, unde diverſae penitus ſunt plantae, noſtraque a *Boerhaavio* in *Ind. Hort. Lugd. Bat. part.* 1. *p.* 122. vocatur Coma aurea Africana, fruticans, foliis glaucis, longis, tenuibus, multifidis, apice pinnularum trifido. & ab *Hermann. in Catal. Pl. Afric. p.* 1. Ageratum Africanum, Elichryſoides, umbellatum, Abrotani folio.

COMA aurea fruteſcens, foliis anguſtiſſimis, trifidis.

Tab. LXIX. *Fig.* 1.

AB aliis Comae aureae ſpeciebus frutex hic inprimis diſtinguitur foliatura, cujus folia ſunt anguſtiſſima, viridia, glabra, ſimplicia, ſuperius in tres lacinias trifida, in inferiore ramorum parte admodum caduca, atque rami ſunt longi, ſpithamales, rotundi, ſcabri, ſuperius plurimos ac innumeros fere ſuſtinentes flores diſcoideos, nudos, luteos, umbellatim diſpoſitos, qui in hac ſpecie frequentiores ſunt, quam in aliis a *Caſp. Commel. in part.* 2. *Hort. Amſt.* a *p.* 89. ad *p.* 100. exhibitis congeneribus, vocaturque haec in *Boerhaavii Ind. H. L. Bat. part.* 1. *p.* 122. Coma aurea Africana, fruticans, foliis tenuiſſimis, longis, trifidis. a *Pluknet. in Amalth. p.* 2. Abrotanum Africanum, multifido folio, incanum, Corymbis aureis, umbellatum, quod in *Phyt. Tab.* 352. *Fig.* 4. exhibetur, a quo differt

COMA



Fig. 2.

Fig. 1.

Fig. 3.

COMA aurea frutescens, foliis trifidis, latioribus, viridibus, glabris.

COMA aurea frutescens, foliis anguſtiſſimis, trifidis.

GNAPHALIUM, foliis oblongo-acutis, craſsis & incanis, floribus albis umbellatis.

COMA aurea fruteſcens, foliis trifidis, latioribus, viridibus, glabris.

Tab. LXIX. Fig. 2.

FRuteſcens & haec planta eſt, folia gerens creberrima, anguſta, ſuperius trifida, ſed latiora, quam in praecedenti ſpecie, anguſtiora vero, quam illa, quae Coma aurea Africana, fruticans, foliis glaucis, & in extremitate trifidis *Commel. Hort. Amſt. part. 2. p. 97.* vocatur, cujus haec proprie varietas tantum eſt, mire enim ludit in his plantis luxurians; & mutabilis ſaepe natura, uti & in omnibus fere plantarum generibus a peritis quotidie obſervatur, proponere tamen earum varietates aeque conducit ad cognitionem, quam diverſas aliarum exhibere ſpecies, unde & hanc producere etiam in Botanophilorum gratiam voluimus, ſed operoſam deſcriptionem ob congeneres ſpecies ab aliis jam deſcriptas evitavimus. vocaturque haec a *Boerhaavio in Ind. H. L. Bat. part. 1. p. 122.* Coma aurea Africana, fruticans, foliis viridibus, & in extremitate trifidis, floribus majoribus. ad Santolinae genus has Comae aureae ſpecies, ſeu ſi mavis, varietates reduxit *Linnaeus* in *H. Cliffort. p. 397.*

GNAPHALIUM, foliis oblongo-acutis, craſſis & incanis, floribus albis umbellatis.

Tab. LXIX. Fig. 3.

PErennis haec planta ex radice longa, lignoſa, fuſca, longiſſimas ſimplices concolores fibras emittente oritur caulibus erectis ſtrigoſis, ſeſquiſpithamalibus, rotundis, incanis, lignoſis, qui folia prioris anni dimittunt, atque toti nudi ſunt, poſterioris vero excreſcunt foliis alternatis gaudentes, oblongo-acutis, integris, mollibus, craſſis, incanis, qui rami in minores floriferos dividuntur penitus ſericeos, diſcolores, fuſcos, unde flores exoriuntur in umbellulas parvas collecti, ex plurimis tubuloſis floſculis conſtantes, calice ſquammoſo molliſſimo ſericeo, foliolis ſimilibus acutis interſperſis, contenti, ſemina non vidi, & in *Herbar. Witſ.* elegantem hanc plantam inveni, quae a *Pluknet. in Mantiſſ. p.* 92. denominari videtur Gnaphalium minus, erectum, oblongis & anguſtis foliis, floribus argenteis, Valacaumboo Malabarorum, ubi & alias hujus habet varietates, ſicut & minorem ejus ſpeciem ſervo, quae ab *ipſo* in *Almag. pag.* 171. vocatur Gnaphalium erectum, minus, Aethiopicum, floſculis umbellatis, quod in *Phyt. Tab.* 298. *Fig.* 6. exprimitur, cum quibus convenit Gnaphalium Africanum, facie Gnaphalii Anglici, foliis anguſtiſſimis *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 12.

CORYM-



CORYMBIUM foliis ad radicem longissimis, liratis.
Fig. 1.
IXIA foliis ad radicem nervosis, gramineis, floribus ac fructu &c.
Fig. 2.
PINI foliis planta Africana, Cyperi capitulis Herm.
Fig. 3.
a b c d
a b c d

CORYMBIUM foliis ad radicem longiſſimis, liratis.

Tab. LXX. *Fig.* 1.

PLanta pedalis circiter eſt altitudinis, quae ad radicem lanugine copioſa tenuiſſima fuſca obducitur, atque inter folia etiam ſparſa eſt, ubi haec progerminant ex unico quaſi centro ortum ſuum ducentia; ſunt autem ultra ſpithamalem longitudinem extenſa; ſemiunciam circiter lata, intus excavata, ſeu concava ac lirata, profunde ſtriata, glabra, integra, graminea, viridia. Inter haec folia caulis exoritur ſpithamalis, teres, ſcaber ſeu hirtus, purpuraſcens, firmus, foliolis ſquammoſis, ſcabris, ad internodia alternatim obſitus, ſuperius ſe explicans in ramulos floriferos, ad divaricationem foliolis caulis ſimillimis ſed minoribus diſtinctos, atque hi in ſummo gerunt flores umbellatim quaſi diſpoſitos, in ſingulo petiolo ſex utcunque diſpoſitos, qui iterum in tria paria diviſi ſunt, gemellis nempe unico ex petiolo erectis, qui calice minimo, profunde in tenuiſſima acuta ſegmenta diviſo continentur *a*, & germen infra receptaculum habent, ſunt autem oblongi, ſtriati, cylindracei, obtuſi *b*, ſuperius in quinque ſegmenta oblonga, aequalia diviſi *c*, coloris purpuraſcentis, ſtaminibus parvis & ſtylo ſimplici ſuperius biſulco *d* gaudentes. Semina non vidi, ſed totus ejus character ample & accurate definitur a *Linnaeo in Char. Plant. num.* 976. ubi omnia, quae ad novum hoc genus ſpectant, inveniuntur; mirum certe eſt, quod *Hermannus*, *Rayus*, *Sherardus*, *Pluknetius*, uno ore Bupleuro affinem dixe-

dixerint hanc plantam, quae ab *Hermanno in Catal. Plant. Afric. pag.* 5. vocatur Bupleuri facie Africana, Gladioli foliis anguſtis, nervoſis, longiſſimis, ſeminibus pappo convolutis; & Bupleuro affinis planta umbellifera *Breynii* foliis liratis, longiſſimis. D. *Sherard.* in *Ray tom.* 3. *pag.* 260. ubi ejus deſcriptio, cum qua convenit Bupleurifolia ſemine papposo, Valerianoides, umbellata, cauliculo ſcabro, ex Promont. Bonae Spei *Plukn. Almag. pag.* 73. cujus caulis florifer ſine foliis exhibetur in *Phyt. Tab.* 274. *Fig.* 5. ubi *Figura* 4. hujus altera ſpecies exhibetur, cujus & aliae varietates occurrunt in *Ray tom.* 3. *pag.* 260. an Caryophylleus Monomotapenſis, nervoſis Bupleuri foliis, intus cavis, flore caeruleo &c. *Plukn. Almag. p.* 67. & *Phyt. Tab.* 275. *Fig.* 1. hujus generis eſt? ſic mihi apparet. Planta noſtra a *Linnaeo in H. Cliffort. pag.* 494. concinne deſcribitur ſub Corymbii nomine, ubi *pag.* 495. Arctopus ſubſequitur, quam plantam *Tab.* 1. hujus operis exhibuimus, quum vero nuperrime egregium *Horti Cliffortiani* opus ſit editum, & antea obiter perluſtrare tantum mihi quaedam ejus fragmenta contigit, in variis locis, ubi laudari debuerat, ob nondum abſolutum illud opus, non potuit, quod hic monere, ne negligentiae reus a quibusdam dicar, neceſſarium duxi.

IXIA

IXIA foliis ad radicem nervoſis, gramineis, floribus ac fructu pappo convolutis.

Tab. LXX. Fig. 2.

EX fibrillis tenuiſſimis, ſimplicibus, nigris oritur haec planta, quae circa radicem folia plurima habet collecta, ſibi invicem alternatim inpoſita, ex uno quaſi centro ortum ſuum habentia, ſunt autem longa, ſemiſpithamalia, ſimplicia, integra, acuta, anguſta, nervoſa, glabra, graminea. Ex medio horum ortu caulis erigitur ſpithamalis, teres, glaber, ſtriatus, purpuraſcens, in minores ſimplices floriferos diviſus, ſub quibus folium alternatum fulcri inſtar ſuccreſſit radicalibus ſimile, ſed magis obtuſum, & brevius. Flores in ramulorum ſummo proveniunt in ſpatha compoſita, ſquamoſa, ovato-lanceolata ſeſſiles, quae componitur ex ſquamis exterioribus majoribus, interioribus tenuioribus hirtis, & quaſi pappoſis, germina diſtinguentibus, calicis vicem gerentibus, inter has flores locantur plurimi hexapetali, roſacei, petalis planis, oblongis, aequalibus, caeruleis conſtantes, qui emarceſcentes convolvuntur *a*, atque ſub ſe relinquunt germen ovatum, triquetrum *b*, quod fit capſula ſubovata, triquetra *c* trilocularis, trivalvis *d*, ſemen ſubrotundum, ſolitarium in ſingulo condens loculo. ad Siſynrichii genus haec planta ab auctoribus relata fuit, quae IXIA a *Linnaeo* in *Char. Plant. gen. num.* 938. dicitur, ubi latius ejus notas vide characteriſticas. Vocaturque haec planta Siſynrichium Aethiopicum, parvum, non ramoſum, plicatis & nervoſis foliis glabrum. *Plukn. Almag. p.* 347.

 cujus

cujus in *Phytogr. Tab.* 15. *Fig.* 7. imperfectam dedit figuram. Eſtque Siſynrichium Africanum, flore coeruleo Iridis, ſeu Siſynrichii Cluſii *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 21. Huc & pertinet, quam eandem puto, Bupleuri anguſtioribus & gramineis foliis planta umbellata, flore rubro, monopetaloide, calyci trigonali ex involucro tomentoſo prorumpente innato, caaliculis ad nodos villoſis Promont. Bonae Spei, *Plukn. Mantiſſ. p.* 34. quae in *Phyt.* ſub falſo titulo graminis tomentoſi *Tab.* 299. *Fig.* 5. exhibetur. Quamque *Pluknet.* putat eandem, quae Perfoliato anguſtifolio montano *Columnae* ſimilis, planta umbellifera nova, fructu triplici membranaceo Cap. Bonae Spei. *Breynii in faſciculo p.* 25. Planta noſtra a *Linnaeo in H. Cliff. p.* 490. etiam reperitur breviter deſcripta.

PINI foliis planta Africana, Cyperi capitulis Herm. Cat. Plant. Afric. *p.* 18.

Tab. LXX. Fig. 3.

FRuticoſa haec eſt planta, ramos gerens pedales, ſimplices, rotundos, cortice ſcabro nigricante obductos, qui undique folia incerto ordine emittunt plurima, longa, anguſta, acuta, integra, quadragona, viridia, glabra, Pini foliis ſimillima. In ramorum ſummo flores utcunque colliguntur in capitula oblonga ſpicatim collecti, qui ſunt oblongi, glabri, tuboloſi, in quinque ſegmenta anguſta, oblonga, aequalia, ſi aperiantur, diviſi, coloris lutei, intus ſtamina tenuia, oblonga, erecta, flaveſcentia continentes, ſemina minima, uti in planta ſicca, quae in *Herbar. Witſ.* invenitur, relinquentes. Videturque eſſe Valerianoides fruticoſa, foliis tenuiſſimis, creberrimis, nullo ordine poſitis, Abietis fere in modum cincta, floſculis ſpicatim e ſuperiorum foliorum alis exeuntibus. *Ray tom.* 3. *p.* 244. ubi notatur, quod floſculi in ſpicis longis rarius ſint ſiti, pentapetaloides, e tubo oblongo lutei, odore Violae matronalis. Cujus & generis, ni modo varietas habenda, eſt Frutex Valerianoides ſpicatus, caule foliis creberrimis undique cincto, ad modum Lycopodii, aut Abietis. Promont. Bonae Spei *in Ray tom.* 3. *p.* 243. cujus deſcriptio noſtra cum planta in plurimis convenit.

JOANNIS BURMANNI,

Med. Doct. & in Horto Medico Amſtelaedamenſi Botanices Profeſſoris,

RARIORUM AFRICANARUM PLANTARUM,

Ad vivum delineatarum, Iconibus ac deſcriptionibus illuſtratarum

DECAS OCTAVA.



AMSTELÆDAMI,

Apud HENRICUM BOUSSIERE.

MDCCXXXIX.

DOCTISSIMIS ET NOBILISSIMIS

V I R I S,

JACOBO PHILIPPO DORVILLIO,

J.U.D. IN ATHENAEO AMSTELAEDAMENSI
HISTORIARUM, ELOQUENTIAE, ET
LINGUARUM PROFESSORI CELEBERRIMO,

NEC NON

PETRO DORVILLIO,

J. U. D. ET INTER AMSTELAEDAMENSES
MERCATORI PRUDENTISSIMO,

AMICIS INTEGERRIMIS,
CONJUNCTISSIMIS,

Octavam hanc Decada
in amicitiae pignus

D. D.

JOANNES BURMANNUS.



PERFOLIATA *foliïs oblongis, ſinuoſis, subtus incanis.*

BUPLEURUM *fruteſcens foliïs ex uno puncto plurimis, junceis, quadragonis.*

PLANTARUM AFRICANARUM DECAS OCTAVA.

BUPLEURUM fruteſcens foliis ex uno puncto plurimis, junceis, quadragonis.

Tab. LXXI. Fig. 1.


Frutex hic ultra hominis excreſcit altitudinem, atque ex caudice ſcabro, purpuraſcente, rotundo, varios emittit ramos lignoſos, quorum juniores ſunt virides, rotundi, ſtriati, hi ex uno centro, cui unicum ſolitarium ſemper folium ſuccreſcit, plurima emittunt folia ſeſſilia, digiti circiter longitudinis, anguſtiſſima, aequalia, perfecte quadragona, graminea, ſeu potius juncea, ſtriata, firma, viridia; In ramorum ſummo umbellae ſparſim proveniunt ex octo pluribusve communibus minoribus compoſitae, quae floſculos dant flavos, pentapetalos, roſaceos, uti in congeneribus, poſt quos ſequuntur ſemina parva, oblonga, ſtriata, fuſca. Planta haec Horti noſtri Amſtelaed. per aliquot jam annos fuit alumna, quae facile per ramos unius anni terrae commiſſos propagatur, atque ab *Hermann. in Catal. Pl. Afric. p. 5.* vocatur Bupleuri facie Africana foliis gramineis anguſtiſſimis, ubi variae hujus commemorantur ſpecies, uti & in *Ray tom. 3. p. 260.*

PERFOLIATA foliis oblongis, ſinuoſis, ſubtus incanis.

Tab. LXXI. *Fig.* 2.

FRuteſcens itidem haec planta videtur, quum rami ejus majores ſint craſſi, lignoſi, rotundi, uſque ad folia tomento cinereo obducti, quo & folia etiam ab inferiore eorum parte inveſtiuntur, unde incana penitus ac mollia ibi etiam ſunt, ſuperne vero ſunt viridia, glabra, atque haec ſunt craſſa, & admodum venoſa, oblonga, ad oras ſinuoſa, ſeſſilia, lata auricula caulem cingentia, atque ipſum quaſi perforantia. Ex horum alis caulis florifer producitur, qui ſupra folia penitus eſt glaber, ſtriatus, rotundus, purpuraſcens, ſuperne ſeſe explicans in tres plerumque umbellas, quarum media latiſſima ac maxima eſt, univerſalis haec umbella crona foliacea ſuccingitur, quae conſtat ex ſquamis oblongo-acutis, glabris ſtriatis, viridibus, in media umbella quatuordecim numero exiſtentibus, quae in lateralibus umbellis minori numero incerto obſervavi, umbella haec ex radiis innumeris componitur uno ex centro ortum ſuum ducentibus, qui ſunt petioli aequales, tenues, firmi, pollicaris longitudinis, ſinguli in ſummo gerentes florem gemellum *a* cum foliolo ſolitario, aliquando gemino laterali *b*, ſingulus autem floſculus calice tenuiſſimo acuto triphyllo *c*, ejusdemque longitudinis continetur, qui inferius germen ſeminale habet *d*, ſuperius autem expanditur in quinque ſegmenta ſeu petala brevia, oblonga, aequalia, lutea *e* cum gemino piſtillo erecto, ſubulato, ſimplici, duplam floris longitudinem habente *f*, ſemina videntur oblonga, ſtriata,

Tab. LXXII



SCABIOSA *hirſuta, foliis nervoſis, subrotundis, floribus proliferis.*

APIUM *radice craſsa, aromatica, foliolis linearibus, collectis.*

ta, gibba, membrana tenui, ſeu alis foliaceis extenſa *g*, quarum juſtam figuram in planta ſicca exacte definire vix poſſum, unde & ſingulari huic plantae novum tribuere genus nec auſus fui, atque Perfoliatarum generi, cum quibus proxime convenit haec planta, tam diu inſerui, donec melior dies vivam eam examinare forte mihi vel aliis peritioribus permittat. Ante aliquot annos incognitam huc uſque plantam a Domino *Garcin* ex Africa reduce dono accepi, quam publici jam juris per generoſam ejus communicationem facimus.

APIUM radice craſſa, aromatica, foliolis linearibus, collectis.

Tab. LXXII. Fig. I.

PRovenit haec planta ex radice longa, craſſa, rotunda, cinerea, ad nodos paucas emittente fibrillas breves, tenues, concolores: Ex hujus radicis ſummo rami propullulant ſpithamales, ſimplices, in minores ſimiles folia producentes diviſi, quae plurima ſimul apparent collecta, anguſta, linearia, viridia, Adianthi formam praebentia, & licet flores in *Witſ.* figura non depicti ſint, procul dubio Apii vera erit ſpecies, uti ex annotatis in *Cod. Witſ.* veroſimile eſt, ubi dicitur, „Haec „ radix grati admodum eſt ſaporis, carminans, atque diure„ tica, apud incolas magno in uſu, folia hujus plantae pene„ trantiſſima ſunt, odorem ſaporemque Petroſelino ſimilli„ mum habent, creſcit autem locis humidis ac pinguibus jux„ ta fluvium montis, ſeu *Bergrevier* dictum, vocaturque ab „ incolis ſeu Hottentottis CHAMARE; detecta autem eſt haec „ planta, quae aeri inciſa hic exhibetur, primo Septembris „ anni 1685.

APIUM

APIUM foliolis trifidis, dentatis.

Tab. LXXII. *Fig.* 2.

ET haec Apii ſpecies, uti ex ſemine ac foliatura patet, habenda eſt, quae caules gerit craſſos, rotundos, ſtriatos, fungoſos ſeu concavos, obſcure virentes, ex quibus foliorum rachis alternatim provenit lata baſi caulem amplectens, quae plurimas foliorum pinnas habet oppoſitas, in minores iterum diviſas ſingula autem pinna ſeu foliorum lobus trifariam dividitur, & tridentatus eſt, Flores in ramorum ſummo umbellatim progerminant, ſemina dantes oblonga, glabra, ſtriata, quae minus feliciter a pictore in Figura *Witſ.* expreſſa ſunt, habetur autem in *Codic. Witſ.* tanquam Dauci ſpecies jucundi odoris, virtutis carminantis, quae creſcit locis aridis ſabuloſisque in Grigriquarum regione, ſeptimo Septembris anni 1685 ibi detecta. huc & pertinet Daucus Africanus, nodiflorus, foliis Rutae minoris D. *Sherard. in Ray tom.* 3. *pag.* 259. quae floribus ad caulium nodos ortis differt.

SCA-

SCABIOSA hirſuta, foliis nervoſis, ſubrotundis, floribus proliferis.

Tab. LXXII. Fig. 3.

Singularis haec planta caulem gerit bipedalem, craſſum, rotundum, ſetis albicantibus undique veſtitum, quantum videtur fungoſum, ex quo folia progerminant craſſa, nervoſa, ſubrotunda, ſinuoſa, ſuperius viridia, inferius incana atque maxime piloſa, uti & etiam pediculus folia ſuſtinens eſt admodum hirſutus, incanus, craſſus, rotundus. Flores in ramorum ſummo colliguntur in caput magnum, ſubrotundum collecti, calice communi, ſquammoſo, ſimplici, diſſecto contenti, floſculi autem ſunt pentapetali, ſinguli ſuo caliculo inſidentes, ex luteo virentes, qui proliferorum more in hac planta luxuriare videntur, atque umbellulas inde haud male referunt, unde haec planta praeſertim etiam ob fragrantiſſimum odorem in *Cod. Witſ.* vocatur Angelica Africana, montana, odorata, floribus viridibus. de qua annotatur, quod in ipſis rupibus vix adeundis creſcat florens Octobri, & quod penetrantiſſimi ſit odoris, quum unicum hujus folium cubiculo incluſum, illud odore ſuo non tantum totum repleat, ſed per aliquot dies, immo poſt Septimanam idem adhuc in illo loco percipiatur odor. *Caſp. Commel.* in *Catal. MSto* haec habet „an vera ſit Angelicae ſpe-
„ cies me latet, quum ſemina appicta ſint nulla, ſi ſit, rectius
„ meo judicio nominari poſſet Angelica Africana, Tuſſilaginis
„ folio, odorata, flore viridi.“ Ex calice autem ſquammoſo, florumque forma ac ſitu facile patet ad umbelliferas minime

hanc pertinere plantam, ad illam autem, ni fallor, gentem *Scabioſam* ſcilicet, ad quam hanc reduximus, jure merito pertinet, quod & mihi aſſentiit peritiſſimus Botanicus D. *Garcin*, quem nuper hac de re, quum plantas exoticas ipſi praeberem, conſulens, verum Scabioſae eſſe ſpeciem pronunciabat, cujus beneficio plurimas nuper accepi plantas a ſe ipſo in Promontorio Bonae Spei, Perſia, aliisque Indiae regionibus collectas, magnum huic Operi incrementum ac ſplendorem ſane adlaturas. Quum hujus plantae folia cum Tuſſilaginis multum conveniant, floresque comoſi ſint, forte denominata eſt ab *Herman.* in *Catal. Plant. Afric. p.* 23. Tuſſilago Africana, Petaſitoides, caule foliorum alato, hirſuto.

POLYGALA fruteſcens, foliis oblongis, glabris, flore purpureo.

Tab. LXXIII. *Fig.* 1.

FRutex hic in horto Medico ad hominis excrevit altitudinem trunco erecto, ſcabro, fuſco, qui ramos emittit pedales, ſimplices, rotundos, virides, ſuperius ſeſe in minores floriferos ſimiles dividentes, qui folia gerunt alternata, breviſſimis petiolis ramis adfixa, oblonga, lata, integra, glabra, ſplendentia, viridia. Flores in ramulorum ſummo locantur in ſpicas laxas congeſti, dependentes, in calice pentaphyllo contenti, quorum bina majora petala inſtar alarum ſunt extenſa, tribus minoribus oblongo-acutis. Flos vero ipſe eſt anomalus, perſonatus, monopetalus, uti apud ſyſthematicos deſcribitur, cum congeneribus conveniens. Sed in hac ſpecie maximus, elegantiſſimus, purpureus, inferius

Tab. LXXIII.



ferius pulchre fimbriatus, poſt quem ſequitur fructus compreſſus, bilocularis, bifariam dehiſcens.

A quibusdam auctoribus haec planta jam fuit denominata, nullibi vero deſcripta aut icone expreſſa; vocaturque Polygala Africana, fruteſcens, Buxi folio, flore maximo *Oldenland.* apud *Tournef. inſt. p.* 175. in *Oldenl. Cat. Pl. Afric. p.* 32. poſt *Theſaur. Zeylan.* inpreſſo. ut & Polygala Africana fruteſcens, latifolia major. *Par. Bat. pr. Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 18. Atque Polygala major fruteſcens, Myrtifolia, flore purpuraſcente, Capitis Bonae Spei *Breyn Prodr.* 2. *p.* 84. ubi una hirſuta, altera glabra, quas in *Horto Amſt.* anno 1689 auctor jam vidit. & cujus una ſpecies in *Hort. Amſt. part.* 1. *p.* 87. exhibetur. hujus & aliae ſunt varietates locis citatis notatae. Huc & pertinet Polygala arborea, Myrtilli ſubrotundis foliis, fructu magno Tordylii, Prom. Bonae Spei. *Plukn. Mantiſſ. p.* 153. & *Phyt. Tab.* 437. *Fig.* 4. & Polygala Capenſis Balauſtii folio. *Petiv. Hort.* ſic apud *Ray app. tom.* 3. *p.* 247.

POLYGALA fruteſcens, foliis linearibus, flore majore purpureo.

Tab. LXXIII. *Fig.* 2.

FRuteſcens & haec ſpecies eſt, quae ramos gerit longiſſimos, pedales, nunc ſimplices, ſaepe in alios plures minores diviſos, qui ſunt rotundi, tenues, glabri, virides, folia alternatim emittentes, ſeſſilia, alternata, anguſta, linearia, integra, glabra, viridia. Ramorum ſummum terminant flores plurimi in ſpicam laxam collecti, calice latiſſimo contenti, elegantiſſime purpuraſcentes, forma & ſtructura uti in congeneribus. in *Herbar. Witſ.* haec vocatur Polygala Africana, flore ruberrimo, perennis; quae eſt Polygala Africana, fruteſcens, foliis latioribus, glabris *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 18. & Polygala Capenſis, folio anguſtiſſimo, flore majore. *Petiv. Hort. Sicc.* apud *Ray tom.* 3. *app. p.* 247. *num.* 54. ut & Polygala, fruteſcens, anguſtifolia, ramoſa, floribus in ſummitate plurimis velut umbellatis Cap. Bonae Spei. *Ray tom.* 3. *p.* 640. *num.* 20. nec non Polygala Africana, fruteſcens, anguſtifolia, major. *Oldenl. Tournef. inſt. p.* 175. quae eſt Polygala foliis lineari ſubulatis. *H. Cliffort. p.* 353. Atque Polygala Africana, glabra, floris galea binis criſtis fimbriatis ornata, ex involucro magno dipetalo erumpente. *Plukn. Almag. p.* 300. & *Phyt. Tab.* 53. *Fig.* 2. ubi male cum Polygala Myrtifolia *Breynii* jungitur.

PO-

POLYGALA foliis linearibus acutis, flore purpureo, minore.

Tab. LXXIII. *Fig.* 3.

RAmi hujus plantae ſunt ſimplices, pedales, tenues, rotundi, glaberrimi, ſtriati, foliis alternatis gaudentes, ſtrictiſſimis, integris, acutis, glabris, viridibus, in ſummo flores alternatim gerentes rariores, minores quam in praecedente ſpecie, in ſpicam laxam collecti, forma & ſtructura uti in praecedentibus, coloris purpurei.

Hanc cum ſubſequentibus a D. *Garcin* quondam accepi, a quo vocabatur Polygala Indica, Linariae folio anguſtiſſimo, flore purpureo. & eſt Polygala Africana, foliis anguſtiſſimis, floribus minoribus *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 18. ut & Polygala Aethiopica, ſtrictiſſimis, glabris foliis, flore phaeniceo. *Plukn. Mantiſſ. p.* 153. nec non Polygala Africana, anguſtiſſimo folio, minor. *Oldenl. Tournef. inſt. p.* 175. Atque Polygala Capenſis, folio anguſtiſſimo, flore minore. *Petiv. Hort. Sicc.* apud *Ray tom.* 3. *app. p.* 247. *num.* 55. Huc & ſpectat Polygala Africana, fruteſcens foliis anguſtiſſimis, brevibus; flore laete purpureo. D. *Sherard in Ray tom.* 3. *p.* 639.

POLYGALA *folio lineari, obtuſo, flore albente, minimo.*

Tab. LXXIII. *Fig.* 4.

INſtar antecedentis erigitur haec planta, caule firmo, rotundo, glabro, qui ſuperius ſeſe dividit in ramos ſimplices, floriferos, alternatim folia gerentes, oblonga, obtuſa, pallida, ſcabra, inter quae flores ad ramos dependentes, alternatim utcumque proveniunt minimi, plani, albidi, forma & ſtructura, uti in vulgaribus Europaeis ſpeciebus. Vocaturque haec a D. *Garcin* Polygala Indica, Linariae folio, flore albido minore, ad caulem pendulo. a *Plukn. in Mantiſſ. p.* 153. Polygala Aethiopica, anguſtis, hirſutis foliis, flore obſolete purpureo. quae in *Phyt. Tab.* 404. *Fig.* 6. exprimitur, ut & a *Breyn in Cent. p.* 107. ubi Polygala fruteſcens Cap. Bonae Spei dicitur.

POLYGALA *foliis oblongo-acutis, flore purpureo latiore.*

Tab. LXXIII. *Fig.* 5.

HUmilior, quam praecedentes, haec planta creſcit, folia gerens itidem alternata, oblongo-acuta, latiore baſi in acutiſſimum apicem deſinentia, glabra, viridia, ſtriata; Flores in ſummo caulis proveniunt inter folia ſparſi, laxe dependentes, lati, purpuraſcentes, forma & ſtructura, uti in congeneribus.

Vocaturque haec a D. *Garcin* Polygala Indica Linariae folio & flore latiore. & Polygala Africana Lini folio, flore magno. *Oldenl.* apud *Tournef. inſt. pag.* 175. Atque Polygala Aethiopica, anguſto folio glabro, flore obſoleto. *Plukn. Mantiſſ. p.* 135. & *Phyt. Tab.* 439. *Fig.* 1. ubi rudis admodum Figura.

CEN-


Fig. 4.
Fig. 5.
Fig. 2.
Fig. 1.
Fig. 3.

CENTAURIUM foliis binis oppoſitis, anguſtis, linearibus, flore magno rubente.

Tab. LXXIV. Fig. 1.

RAmi hujus plantae ſunt longi, ſpithamales, ſimplices, rotundi, glabri; qui folia gerunt bina oppoſita, ſeſſilia, anguſta, linearia, acuta, quae ex eorum alis raro niſi in ſummo minora producunt ſimilia folia. Flores tantum in ramorum ſummo locantur longis petiolis inſidentes, ſolitarii, magni, calice oblongo, acuto, hirto, in quinque lacinias diviſo contenti, qui in quinque petala oblonga, aequalia, dividuntur, coloris ſuavcrubentis, forma & ſtructura uti in aliis congeneribus, atque hanc cum ſubſequentibus ſpeciebus ex *Herbar.* inprimis *Witſ.* poſſidemus. videturque mihi denominari hanc plantam ab *Hermann. in Catal. Pl. Afric. p.* 6. Centaurium minus Africanum, flore Lychnidis rubro, foliis anguſtiſſimis viridibus. a *Sherard in Ray tom.* 3. *pag.* 530. *num.* 20. Centaurium Caryophylloides, flore amplo, foliis oblongis, anguſtiſſimis, Promontorii Bonae Spei. in *Parad. Bat. Pr. p.* 321. Centaurium Caryophylloides, Africanum, ſempervirens. in *Cod. Witſ.* Ciſtus Africanus, Lini folio, flore rubro. ubi notatur, quod loca amet humida & Decembri floreat. Hujus autem plantae variae ſunt ſpecies, ſeu differentes varietates, uti in locis citatis obſervari poteſt. Cumque hac convenit Centaurium minus, Africanum, Caryophylli folio, flore ſuaverubente, Capitis Bonae Spei *Breyn Prodr.* 2. *pag.* 27. quam in *Cent. Tab.* 90. exhibet, ubi vocatur Rapuntio affinis, Lini facie Capitis Bonae Spei, &c.

CEN-

CENTAURIUM foliis plurimis oppoſitis, anguſtis, flore luteo minore. *Tab.* LXXIV. *Fig.* 2.

A praecedente haec ſpecies differt, quod rami ſint frequentiores, uti & folia plura oppoſita, ac longiora, ſimilis tamen ſtructurae, quae ex eorum alis in ramorum ſummo minores etiam dant ramos floriferos, quod in priori non ita obtinet ſpecie, Flores autem ſunt duplo minores, ac coloris lutei, caeterum forma & ſtructura convenientes, videturque eſſe Centaurium minus Africanum, luteum, floribus minoribus. *Herman. Cat. Pl. Afric. p.* 6. ubi hujus plantae alias vide varietates. & eſt Centaurium Caryophylloides ramoſius, floribus minus ſpecioſis, magisque ſparſis Promont. Bonae Spei *Ray tom.* 3. *p.* 530. *num.* 21.

CENTAURIUM anguſtifolium, floribus ex alis ſeſſilibus. *Tab.* LXXIV. *Fig.* 3.

RAmi hujus plantae ſunt parvi, craſſi, lignoſi, angulares, qui folia dant bina oppoſita, anguſta, uncialia, acuta, ſeſſilia, quae ex eorum alis plurimos producunt floſculos faſciculatos, ſeſſiles, ventricoſos, oblongos, ſuperius in quinque anguſta, acuta, ſegmenta diviſos, calicibus latis quinquefidis contentos, quorum fructus me latet. Rariſſima & ſingularis haec planta in *Muſ. Petiv. num.* 369. & *Act. Philoſ. num.* 276. *pag.* 1017. vocatur Centaurium minus verticillatis floribus, Madraſpat. ubi planta, quam ex ejus *Herbario* per *Ruyſchii* communicationem poſſideo, collecta eſt. Malabaris autem vocatur Valerhu teſte D. *Brown*, uti patet ex *Ray tom.* 3. *p.* 350. *num.* 27.

CEN-

CENTAURIUM *ſubrotundis foliis, floribus comoſis.*

Tab. LXXIV. *Fig.* 4.

HUmilis haec planta ſeſquipalmaris circiter, ex radice tenui, parva, fibroſa ac lignoſa cinerea oritur caule ſimplici erecto, qui ſuperius dichotome dividitur, quod in caeteris minoribus ramulis floriferis etiam obtinet, inter ramulorum autem divaricationes flos ſolitarius ſuboritur tenui ſatisque longo petiolo inſidens, qui calice ventricoſo, & laxo, ſtriato, quinquefido continetur, atque in petala quinque, oblonga, aequalia dividitur, forma & ſtructura uti in aliis congeneribus, Folia autem gerit haec planta parva, craſſa, ſubrotunda, latiore baſi ſenſim coarctata, ſeſſilia, bina ſemper oppoſita, quae ad divaricationem petiolorum floriferorum minima, ac inter illos quaſi diſperſa ſunt. Hancque puto eſſe eandem plantam, quae Centaurium humile multiflorum vocatur ab *Hermann. in Catal. Pl. Afric. p.* 6. & Centaurium minus luteum, floribus in ſummo caule velut umbellatis, Capitis Bonae Spei *Ray tom.* 3. *pag.* 530. *num.* 18. ut & Centaurium minus aureum, floſculis numeroſis Aethiopicum. *Plukn. Almag. p.* 94. *Pl.* 3. *Phyt. Tab.* 275. *Fig.* 3. ubi flores inperfecte delineati exhibentur. Huc & pertinet Centaurium humile album, folio ſubrotundo, e Capite Bonae Spei. *Petiv. Cent. num.* 368.

CENTAVRIVM perfoliatum, florum calice membranaceo, ventricoſo.

Tab. LXXIV. Fig. 5.

Puſilla haec planta digitum circiter longa, ex radice parva, tenui, fibroſa, nigricante oritur caule ſimplici, tenui, erecto, anguloſo, qui bina ternave foliorum paria producit, quae folia inſtar Perfoliatorum caulem ipſum ambiunt, ſeu perforata ſunt, quae parva, ſubrotunda & lata venoſaque ſunt ſtructura. Flores in ſupremi caulis divaricatione proveniunt, qui in capſula quaſi continentur, laxa, lata, ventricoſa, membranacea, ſtriata, quae ex latiſſima baſi ortum ſuum ducit, atque in quatuor anguſta acutaque cornicula deſinit, flores penitus, quamdiu juſtam magnitudinem nondum acquiſivere, occludens, aperti autem ultra dimidium ex illa erumpunt, atque explicantur in petala quinque oblonga anguſta, aequalia, lutea. Atque haec ab *Hermann. in Catal. Pl. Afric. p.* 6. vocatur Centaurium luteum flore amplo, capſula quatuor alis membranaceis donato, a *Pluknet in Almag. p.* 94. Centaurium, perfoliatum, Aethiopicum, floſculis exiguis flaveſcentibus, ex caliculis magnis quadripinnatis erumpentibus, quam in *Phyt. Tab.* 275. *Fig.* 4. exhibet. cui proxime accedit Centaurium minus Aethiopicum, foliis cordiformibus. *Oldenl. Petiv. Cent. num.* 160. uti ex deſcriptione, quae in *Ray tom.* 3. *p.* 527. invenitur, patet. Centaurium minus humile, luteum, multiflorum, Africanum, capſula quatuor alis membranaceis donata. *Herbar. Ruyſch.* quo nomine eam olim ab eo accepi. Quod eſt Centaurium Capenſe, minus, flore luteo, amplo, capſula quatuor alis donata. *Alb. Sebae Theſ. part.* 1. *Tab.* 22. *Fig.* 7.

Tab. LXXV.



DROSERA *foliis ad radicem longiſſimis, floribus ſpicatis.*

Tab. LXXV. *Fig.* 1.

EX radice fibroſa tenui, nigricante oritur haec planta; quae ſtatim plurima emittit folia omnia quaſi radicalia, longiſſima, ad ſemiſpithamam extenſa, ſimplicia, ultra dimidium glaba, reliqua eorum parte hirta, pilis undique quaſi obſita, ſaepe & circinnata. Ex foliorum ortu caulis erigitur ſemipedalis, angularis, ſcaber, nudus, in ſummo tantum flores gerens in ſpicam longam collectos, uno verſu poſitos, regulari ordine ſibi invicem ſuppoſitos, qui calice magno, quinquedentato ac hirto continentur, ac pentapetali, elegantis purpurei ſunt coloris, forma & ſtructura cum congeneribus convenientes. a *Dom. Garcin* haec cum ſubſequente ex ejus Herbario mecum eſt communicata, quae ipſi vocatur Ros Solis Capenſis foliis longiſſimis, circinnatis, floribus purpureis, ſpicatis. Huc & pertinet Ros Solis Luſitanicus maximus, foliis Aſphodeli minoris. *Tournef. Plukn. Phyt. Tab.* 117. *Fig.* 2. & *Almag. p.* 223. & *Ray tom.* 3. *p.* 551. Atque Ros Solis Africanus, foliis praelongis, caule nudo altiſſimo. D. *Sherard.* in *Ray tom.* 3. *p.* 515. & Ros Solis Africanus, folio lato, & longo. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 19.

DROSERA foliis ad caulem oblongis, alternis; flore amplo purpureo.

Tab. LXXV. Fig. 2.

ERigitur haec planta caule ſimplici, ſpithamali, angulari, ſtriato, hirto, purpuraſcente, folioſo, folia ad caulem gerens oblongo-acuta, ſeſſilia, alterna, piloſa, obſcure viridia. Caulis ſummum terminant flores rari, in ſpecimine noſtro gemini, petiolo unciali, hirto, firmo, inſidentes, calice magno, profunde in quinque partes diſſecto, itidem hirto contenti, flores hi ſunt ampli, expanſi, pentapetali, Ciſti florum forma convenientes, coloris elegantiſſime purpurei. unde & eſt Chamaeciſtus Capitis Bonae Spei Roris Solis foliis. *Petiv. Cent.* 1. *num.* 161. qui flore minore tantum differt. Quae eſt Ros Solis Africanus, Ciſti flore albo, caule folioſo D. *Sherard.* in *Ray tom.* 3. *p.* 515. Hujus altera ſpecies flore albo minore a *Pluknet. in Phyt. Tab.* 440. *Fig.* 7. exhibetur, quae ipſi dicitur Rorella major, oblongo folio Monomotapenſis, flore albo, caule folioſo in *Mantiſſ. p.* 193. & Ros Solis Africanus, Ciſtoides, foliis oblongis per caulem diſpoſitis. *Herm. Cat. Pl. Afric. pag.* 19. Tertia & hujus generis ſpecies in *Herbar. D. Garcin* occurrit, quae folia ad radicem gerit ſubrotunda, ſed quum in omnibus conveniat illi, quam in *Theſ. Zeyl. p.* 207. deſcripſi & exhibui, hinc ſuperſedeo, vocaturque haec ab *Herman. in Catal. Pl. Afric. p.* 19. Ros Solis Africanus, minimus, foliis oblongo-rotundis.

LI-

LINARIA foliis copioſis, oblongis, dentatis, capſula corniculata, reflexa.

Tab. LXXV. Fig. 3.

EX radice fibrilloſa, tenui, longa, cinerea erigitur haec planta duos circiter pedes alta caule erecto, purpureo, glabro angulari & ſulcato, qui folia emittit plurima ſimul collecta, ſeſſilia, oblonga, dentata, viridia, ſcabra, quae ad ramulorum divaricationem, & in minoribus ramis bina tantum oppoſita, ac minora progerminant. Flores in ramis laxis ſpicatis alternatim ſolitarii proveniunt, petiolo unciali firmo inſidentes, qui ſquamulam foliaceam habent ſuffultam, ſunt autem monopetali, irregulares, perſonati, bilabiati, & calcare longo inſtructi, uti alii hujus familiae, coloris flavi cum purpuro mixti. Fructus autem eſt compreſſus, bilocularis, ſepto medio in duos loculos diviſus, qui ſuperius dehiſcens in duo cornicula reflexa deſinit, & Burſae paſtoris fructum quaſi refert, in quo plurima ſemina reconduntur plana, ſubrotunda, compreſſa, margine membranaceo circumdata, cinerea. in *Herbar. Witſ.* hanc ſingularem inveni plantam, quam a ſolo *Petiv. in Cent. num.* 430. inveni denominatam, ipſique dicitur Linaria Dracocephali folio e Cap. Bonae Spei, & apud *Ray tom.* 3. *app. p.* 239. *num.* 54.

SAXIFRAGA bulboſa, monophylla.

Tab. LXXV. Fig. 4.

HUmilis haec planta ex radice bulboſa ſubrotunda, plurimas fibrillas tenues, cinereas emittente oritur, caule ſimplici erecto, purpureo, qui paulo ſupra terram folium habet latum, planum in quinque profundos lobos inaequales diviſum, glabrum, viride.

Flores in caulis ſummo locantur laxi, petiolis propriis ſemiuncialibus inſidentes, pentapetaloides, carnei coloris, calice quinquedentato contenti. Fructus nec ſemina adpicta ſunt in Collect. D. *van der Stell*, unde hanc cum ſubſequente producimus.

SAXIFRAGAE affinis planta flore heptapetalo.

Tab. LXXV. Fig. 5.

PEculiaris haec planta ex radice tenui, fibroſa, cinerea provenit caule erecto ſimplici, rotundo, viridi, qui alternatim folia gerit oblongo-acuta, ſeſſilia, integra, glabra, viridia. Caulem terminant flores petiolis propriis inſidentes uncialibus, qui explicantur in petala ſeptem oblonga, cordata, lutea. Semina adpicta ſunt nulla, unde incertum, ad quodnam proprie pertineat genus.

GNA-



GNAPHALIUM tomentosum, foliis orbiculatis, &c.

GNAPHALIUM folio oblongo-acuto, molli, floribus ferrugineis.

GNAPHALIUM tomentoſum, foliis inferioribus subrotundis, &c.

GNAPHALIUM tomentoſum, foliis inferioribus ſubrotundis, ſuperioribus acuminatis.

Tab. LXXVI. *Fig.* 1.

PEculiaris haec eſt planta, tota quanta incana, & lanugine molliſſima albicante undique inveſtita, quae ramos gerit bipedales non diviſos, inferius foliis creberrimis obſeſſos, quae lata baſi caules amplectuntur, ſunt autem lata, plana, ſubrotunda, quinquenervia, craſſa, molliſſima, albicantia, quae quo magis ad caulis ſummum vergunt eo anguſtiora, oblonga, atque acuminata in ſummo evadunt; caulem vero terminant flores plurimi in comam denſam umbellae in modum collecti, ſinguli ſuis petiolis curtis, craſſis, & firmis inſidentes, flores hi calice latiſſimo ſquammoſo, imbricato, argenteo, ſplendente continentur, cum plurimis Elichryſorum floribus forma &. ſtructura convenientes, ſemina relinquentes minima, oblonga, nigra, pappo ciliari molli albicante ornata; Ex *Herbar. Garciniano* elegantem hanc producimus plantam, quae ab *Oldenl. in Catal. alt. Pl. Afr. p.* 27. dicitur Elichryſum Africanum, lanuginoſum, latifolium, calice floris argenteo & ampliſſimo, *Tournef. inſt. p.* 453. Huc ſpectat Elichryſum Cap. Bonae Spei Lychnidis coronariae folio, capitulis ſquamoſis. *Petiv. Cent. num.* 201.

GNA-

GNAPHALIUM tomentoſum, foliis orbiculatis, ſubtus incanis.
Tab. LXXVI. *Fig.* 2.

RAmi hujus plantae ſunt ſimplices, raro diviſi, pedales, rotundi, purpuraſcentes, lanugine molliſſima albicante obducti, qua & folia etiam inveſtiuntur, quae brevibus petiolis, ſed craſſis ac firmis inſident, ſunt autem orbiculata, craſſa, integerrima, ſuperius obſcure viridia inferius incana, utrimque lanuginoſa, Dictamni Cretici foliis aemula, in caulis ſummo minora, ac magis oblonga; Flores in ramorum ſummo coacervatim proveniunt elegantiſſimi ſplendentis ſulphurei coloris forma ac ſtructura, uti in praecedente ſpecie, ſed longe minores. in *Herbar. Witſ.* hanc plantam inveni, quam puto eſſe Helichryſum Africanum, ſulphureum, foliis tomentoſis ſubrotundis, brevibus. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 13. & Elichryſum Africanum, incanum, tomentoſum, foliis ſubrotundis. *Oldenl. Cat. alt. Pl. Afric. p.* 27. & *Tournef. inſt. p.* 453.

GNAPHALIUM folio oblongo-acuto molli, floribus ferrugineis.
Tab. LXXVI. *Fig.* 3.

FRuteſcens haec planta videtur, quae ramos gerit pedales, lignoſos, ſimplices, rotundos, virides, molli ſericea lanugine obductos, his folia adcreſcunt alternata, lata baſi dimidiam caulis partem amplectentia, oblongo-acuta, ad oras ſinuoſa, laeviter denticulata, mollia, ſuperius viridia, inferius pallida: Caulis ſummum terminant flores comoſi innumeri, in umbellas parvas collecti, elegantiſſimi ferruginei ſeu phaenicei coloris, multo minores quam in praecedentibus ſpeciebus, ſplendentes itidem atque vigorem ſuum diu retinentes. in *Herbar. Witſ.* ac *Garcin.* haec elegans aſſervatur planta, quam cenſeo Elichryſum Africanum, floribus ferrugineis, folio tomentoſo, oblongo, anguſto; ſive Chryſocome Africana, flore phae-


Fig. 3.
Fig. 1.
Fig. 2.

phaeniceo, anguſtifolia *Breyn faſcic. rar. p.* 20. & *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 13. Elichryſum Aethiopicum foliis latioribus, denticulatis, ſubtus tantummodo lanuginoſis, floribus phaeniceis *Ray tom.* 3. *p.* 171. *num.* 23. ut & Gnaphalium tomentoſum, flore luteo *Petiv. Cent. num.* 231.

GNAPHALIUM incanum, folio lineari cauli accumbente. *Tab. LXXVII. Fig.* 1.

RAmoſa admodum haec planta eſt, quae ramos gerit craſſos, rotundos, penitus lignoſos, unde inter frutices itidem numeranda, (qui in nulla frequentiores regione obſervantur, quam in Bonae Spei capite, a ſolo forte ſicco, arenoſo, ac multum lapideo.) caeterum tota quanta eſt incana, acſi creta eſſet obducta, folia gerens ſimplicia, anguſta, linearia, parva, cauli arctiſſime accumbentia, incerto ordine locata, ad ramorum ſummum frequentiora, ubi flores exoriuntur in caput ſubrotundum ſingulare collecti, calice ſquammoſo, imbricato contenti, quorum forma, quum nondum aperti erant, penitus me latet; ante aliquot annos ex Capite Bonae Spei delata eſt haec rariſſima planta, quae eadem videtur, ac Elichryſum Africanum, fruteſcens, anguſtis, & longioribus foliis, incanis. *Hart. Cat. alt. Pl. Afric. p.* 27. & Elichryſum Aethiopicum tenuiſſimis Staechadis citrinae confertis foliis ramoſiſſimum, comis argenteis *Plukn. Mantiſſ. p.* 67. & *Ray tom.* 3. *p.* 171. *num.* 27. Huc & ſpectat Gnaphalium teretifolium, e monte Tabulari. *Petiv. Cent. num.* 230. ut & Xeranthemum Africanum, ramoſum, foliis Gnaphalii anguſtis, oblongis, caulem & ramulos ad ipſos uſque flores cingentibus *Ray tom.* 3. *p.* 181. *num.* 11. cujus deſcriptio huic plantae optime convenit.

GNAPHALIUM ſericeum, foliis oblongo-acutis, floribus comoſis.

Tab. LXXVII. Fig. 2.

ELegans haec planta tota quanta mollis & ſericea eſt, flaveſcente colore fulgens, quae valde ramoſa eſt, atque plurima flagella habet procumbentia ſimplicia, non ramoſa, admodum pubeſcentia, foliis creberrimis maxime ad eorum extremum veſtita, folia autem ipſa ſunt mollia, oblongo-acuta, integra, flava, ſuperius obſcura, inferius pallidiora, alternata, ſeſſilia, lata baſi caules involventia; horum ſummum flores terminant innumeri, comoſi, in comam denſam compactam collecti, ſinguli ſingulis curtis petiolis inſidentes, calicibus flaveſcentibus ſplendentibus, ſquammoſis contenti, ex plurimis floſculis hermaphroditis compoſiti, forma ſubrotunda capitulum mentiente, uti in aliis congeneribus, coloris lutei. Ex *Herbar. Witſ.* hanc producimus plantam, quae forte Helichryſum Africanum, luteum, Polii montani lutei foliis. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 13. & Elichryſum Africanum, luteum, Polii folio. *Oldenl. Cat. alt. Pl. Afric. p.* 27. & *Tournef. inſt. p.* 454. Quod eſt Gnaphalium caule fruticoſo, foliis ovatis, integerrimis petiolatis, floribus terminatricibus confertis *H. Cliff. p.* 402. & Elichryſum Africanum folio oblongo ſubtus cano, ſupra viridi, flore luteo. *Boerh. Ind. H. L B. part.* 1. *p.* 121. cujus varietas eſt Elichryſum Aethiopicum, numeroſis & anguſtis Staechadis citrinae foliis minus albicantibus, florum ſquamulis carbunculi in modum ſcintillantibus. *Plukn. Almag. p.* 134. *Tab.* 279. *Fig.* 1.

GNA-

GNAPHALIUM fruteſcens, foliolis tenuiſſimis, teretibus, ramulis creberrimis.

Tab. LXXVII. *Fig.* 3.

ELegantis hujus fruticis plurimae in Promontorio Bonae Spei occurrunt varietates, quarum decem & plures tam in *Herbar. Witſ.* quam in collectione mea aſſervo, omnes penitus fruteſcentes, florum varietate, foliorumque magnitudine, numero, ſitu ac ſtructura variantes, quas omnes exhibere, quum tantus hujus familiae numerus in illis inſuper reperiatur oris, finem propoſiti hujus operis & numerum longe excederet; taediumque forte ob copiam tot plantarum unius generis luxuriantis naturae luſu magis quam diverſis ſpeciebus & alia partium ſtructura differentium excitaret iis, qui varia mecum ſupremi Numinis opera perſcrutando ea admirantur, atque ſumma ſuſpiciunt veneratione; mirandum certe, quod in hoc terrarum veluti angulo, arenoſo penitus, ac multum lapideo abundans luxuriansque natura e gremio ſuo tot unius generis ſpecies producat, & plures certe quam in ulla alia obſervantur regione, uti in *Aloës*, *Meſembryanthemi*, ne dicam de *Ericarum*, *Geniſtarumque* ſpeciebus, itidem obſervatur.

Planta itaque noſtra admodum eſt ramoſa, fruticoſa, in plurimos minores ſimplices lignoſos ramos diviſa, qui foliis undique inveſtiuntur creberrimis, minimis, anguſtis, teretibus, integris, ſubincanis, in ramorum ſummo rarioribus, ubi rami explicantur in corymbos floriferos, flores ſuſtinentes elegantiſſime ſplendentes, ferrugineos, qui propriis petiolis inſident, & calice lato, oblongo, ſquammoſo, imbricato continentur,

forma & ſtructura, uti in congeneribus. Videturque Helichryſum Africanum, luteum, foliis minimis, anguſtis, brevibusque. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 13. ubi plures hujus occurrunt varietates. ut & Elichryſum Cap. Bonae Spei ferrugineum, Ericoides. *Petiv. Cent. num.* 199. atque Elichryſum Capenſe Ericae folio *Petiv. Hort. Sicc. in Ray tom.* 3. *p.* 244. *app.* Huc pertinet Gnaphalium caule ramoſo, fruticoſo; corymbis, ramoſis, terminatricibus, foliis confertis teretiuſculis. *H. Cliff. p.* 401. quod eſt Millefolium Aethiopicum Ericae foliis incanum, flore ſpecioſo *Plukn. Alm. p.* 251. *Tab.* 308. *Fig.* 2. quod rarioribus foliis differt.

GNAPHALIUM incanum, folio lineari, longo, floribus ſpecioſis.

Tab. LXXVIII. *Fig.* 1.

FRutex hic ad quatuor circiter pedum altitudinem in Horto Medico excreſcit, ramos emittens plurimos ſimplices, non diviſos, pedales, rotundos, incanos, uti tota planta molli albicante lanugine eſt obducta, folia gerens alternata, ſeſſilia, longa, anguſta, integra, aequalia, obtuſa. Ramorum ſummum flores terminant plurimi comoſi, in umbellam quaſi laxam diſpoſiti, calicibus oblongis, cylindraceis, ſquammoſis, argenteis, ſplendentibus contenti, forma & ſtructura uti in congeneribus, coloris lutei. Quam puto eſſe Helichryſum Africanum, album, longis acutis tomentoſisque foliis *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 13. & Elichryſum Africanum, Staechas Citrina dicta, media. D. *Sherard in Ray tom.* 3. *p.* 171. *num.* 12. atque hujus plantae plures habemus varietates foliorum magnitudine,

&



Fig. 1.
Fig. 2.
Fig. 3.
Fig. 4.

& latitudine differentes, ſicuti Elichryſum Africanum, fruteſcens, foliis Staechados citrinae, flore aureo. *Boerh. Ind. H. L. B. part.* 1. *p.* 121. *num.* 18. quam in Horto etiam colimus; quae foliis anguſtioribus, floribusque minoribus differt. Tertia hujus varietas occurrit in *Hort. Amſt. part.* 2. *p.* 109. ubi Elichryſum Africanum fruteſcens, anguſtis & longioribus foliis incanis vocatur. quorum folia triplo ſunt latiora, longiora, atque ſaepe etiam reflexa, quarta varietas ſubſequitur, quae mihi dicitur

GNAPHALIUM incanum, folio oblongo, latiore.

Tab. LXXVIII. *Fig.* 2.

FRuticoſa haec itidem planta eſt, ramos emittens plures, lignoſos, ſemipedales, ſimplices, folia alternatim gerentes ſeſſilia, oblonga, latiora, atque breviora, acuminata & incana, uti tota planta eſt, quae flores gerit rariores, laxos, petiolis ſemiuncialibus inſidentes, calicibus latis imbricatis argenteis, ſplendentibus contentos, ſtructura uti congenerum, coloris ſulphurei. atque hic frutex a *Boerhaav. in Ind. H. L. Bat. part.* 1. *p.* 121. *num.* 16. vocatur Elichryſum Africanum, arboreſcens, foliis incanis, latioribus: & Elichryſum Africanum, ramoſum, folio lato & oblongo, floribus minoribus candicantibus; D. *Sherard* in *Ray tom.* 3. *pag.* 171. *num.* 21. ut & Elichryſum Capit. Bonae Spei Lavendulae folio lanuginoſo. *Petiv. Cent. num.* 200.

GNAPHALIUM incanum, foliis oblongis, auriculatis.

Tab. LXXVIII. *Fig.* 3.

HUmilis haec eſt planta, pedem circiter alta, ex radice longa, lignoſa, repentes ſimplices longiſſimas fibras emittente proveniens, quae ſtatim ſupra terram in plurimos procumbentes ſimplices dividitur ramulos, qui folia gerunt mollia, incana, alternata, lata baſi caules amplectentia, ubi & auriculata ſunt, forma oblonga. Flores in ramorum ſummo colliguntur rariores, ubi ſaepe in alios floriferos ramulos caulis dividitur, qui calice elegantiſſimo, ſpadiceo, inmarceſcente ſquammoſo continentur, coloris inmaculati argentei. In *Herbar. Witſ.* hanc ſingularem cum ſubſequente inveni plantam, cum qua convenire videtur Elichryſum Capenſe, auriculato folio. *Petiv. Hort. Sicc. in Ray tom.* 3. *app. p.* 244.

GNAPHALIUM foliis linearibus, creberrimis, floribus oblongis, umbellatis.

Tab. LXXVIII. *Fig.* 4.

ELegans haec planta ramos gerit pedales, ſimplices, lignoſos, rotundos, virides, foliis undique cinctos, linearibus, ſeſſilibus, aequalibus, integris, glabris, viridibus, quae uſque ad ipſorum florum ortum perdurant creberrima. Hi autem in caulis ſummo proveniunt in plures minores umbellulas collecti, quae petiolo communi ſemiunciali ſuſtinentur, atque flores gerunt ſex ſeptemve ſimul congeſtos, qui ſunt oblongi tenues, cylindracei, in quinque anguſta ſegmenta diviſi, ca-

licibus


Fig. 1.
Fig. 2.
Fig. 3.
Fig. 4.

licibus minimis dentatis contenti, coloris lutei, ſplendentis; unde haec planta ad aliud pertinere videtur genus, & quidem, uti mihi apparet, ad illam plantarum familiam, quae ſupra *pag.* 193. Pini foliis planta Africana Cyperi capitulis *Hermanni* vocatur, quae in *Ray tom.* 3. *p.* 244. dicitur Valerianoides fruticoſa, foliis tenuiſſimis, creberrimis, nullo ordine poſitis, Abietis fere in modum cincta &c.

GNAPHALIUM fruticoſum, foliolis lanceolatis, congeſtis, florum calice tubuloſo.

Tab. LXXIX. *Fig.* 1.

Fruticans haec planta ramoſiſſima eſt, ramos emittens pedales, ſuperius in plures minores lignoſos diviſa, qui foliolis inveſtiuntur creberrimis, lanceolatis, acutis, majoribus minoribus interpoſitis, & pungentibus, faſciculatim congeſtis, ſaepe etiam pluribus contortis, marginibus reflexis, inferius incanis; Flores in ramorum ſummo colliguntur, in plurimas umbellas arctas collecti, quarum ſingula aliquot flores ſuſtinet calice longo tubuloſo ſeu cylindraceo, imbricato contentos, hi autem ſquamis tenuiſſimis pappoſis fere, longis, albicantibus conſtant radium conſtituentibus, poſt quos ſequuntur ſemina tenuiſſima longa, nigricantia, pappo ſericeo tenui interſperſo. Planta haec mire variat creſcendi modo, quumque flores ſingulari etiam modo ſint conſtructi, varia huic plantae indita fuere non tantum nomina, ſed ad diverſas etiam plantarum familias redacta, ſequentia autem ſynonyma vel denominationes huic plantae vel ejus varietatibus competere puto. Helichryſum Africanum, Ericae folio, floribus longis, majo-

majoribus. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 13. Gnaphalium caule fruticoſo, foliis lanceolatis, contortis, faſciculatis, calicibus cylindraceis, longiſſimis. *Linn. H. Cliff. p.* 402. Argirocome Capitis Bonae Spei Thymi foliis *Petiv. Cent. num.* 144. & *Gazoph. Tab.* 7. *Fig.* 3. ut & *Ray app. tom.* 3. *p.* 238. *num.* 16. Xeranthemum Africanum, fruteſcens, folio Ericae aut Juniperi anguſtiore, breviore, acuto, floribus conglobatis exiguis, albis. D. *Sherard in Ray tom.* 3. *pag.* 182. *num.* 14. Xeranthemum Staechadis citrinae foliis rigidis, mucrone pungentibus, flore albo, duriuſculo, ex plurimis floſculis immarceſcentibus, parvis, ſummo ramulo glomeratis, conflato. *Plukn. Mantiſſ. p.* 191. ubi interrogat, an rectius Agerato affinis Africana, Staechadis Citrinae foliis aculeatis &c. cum quo convenit Gnaphaloides Aethiopicum fruteſcens Staechadis Citrinae foliis ſpinoſis, ſummo caule floribus albis duriuſculis, arcte conglomeratis. *Plukn. Mantiſſ. p.* 92. & *Ray tom.* 3. *p.* 193. *num.* 38. Eupatoroides Cap. Bonae Spei, foliis rigidis, teretibus, contortis. *Petiv. Cent. num.* 209. Quae ſi folia gerit longiora, acuta, itidem pungentia, uti mire haec planta variat, & in *Herbar. Witſ.* & meo plures tales ſervo varietates, tunc eſt Eupatoroides Cap. Bonae Spei Saturejae foliis rigidis. *Petiv. Cent. num.* 208. & *Ray tom.* 3. *app. p.* 239. *num.* 20. & Lychnis coronaria Monomotapenſis globulifera, foliis exalbidis Geniſtae aculeatae *Plukn. Amalth. p.* 134. *Phyt. Tab.* 406. *Fig.* 6. huc & pertinet Rhaponticoides Africana, vermiculato, folio calice cylindraceo *Vaill. act. reg. Pariſ. ann.* 1719. *p.* 390. quae melius cum ſubſequente planta, quae hujus varietas itidem habenda eſt, convenire videtur, quum autem hae plantae ab auctoribus adeo confunduntur ad meliorem harum notitiam hic ſimul eam proponere neceſſe duxi, quam voco

GNA-

GNAPHALIUM fruticoſum, foliolis rarioribus, capitatum.

Tab. LXXIX. *Fig.* 2.

DIffert inprimis hic frutex a praecedenti, quod ramorum caules ſint rubentes, quum alterius ſint cinerei, foliola non ita multiplicia, remotius itidem ſita, lanugine tenuiſſima interſperſa; flores vero non umbellati, ſed arcte congeſti & capitati, brevioresque, ac villoſi, quum in priore ſpecie ſint glaberrimi, nec ita albicantes, caeterum conveniunt, vocaturque Helichryſum Africanum, umbellatum Coridis folio, floſculis longis parvis. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 13. Eupatoroides Capenſis capitatus *Petiv. Gazoph. Tab.* 8. *Fig.* 1. *Ray tom.* 3. *app.* 239. *num.* 29. Xeranthemum Africanum foliis brevioribus, caneſcentibus, floribus minimis conglobatis albis. *Ray tom.* 3. *p.* 182. *num.* 15. & Frutex Aethiopicus, cineraceus, foliis Nepae aculeatis, floſculis albis coronatus. *Plukn. Phyt. Tab.* 410. *Fig.* 2.

GNAPHALIUM fruteſcens, foliolis lanceolatis, aequalibus, umbellatum.

Tab. LXXIX. *Fig.* 3.

RAmi hujus fruticis ſunt tenues, lignoſi, longiſſimi, in varios minores ſimplices, rotundos, cinereos diviſi, qui foliola gerunt plurima ſimul congeſta, faſciculata, aequalia, lanceolata, tenuia, multo breviora quam in antecedentibus, nec pungentia, Camphoratae foliis ſimillima. Flores in ra-

mulorum ſummo colliguntur umbellati, in plures minimas umbellas diſpoſiti, calice oblongo cylindraceo contenti, forma & ſtructura, uti praecedentium, coloris albicantis ſplendentis. vocaturque Helichryſi ſpecies Camphoratae folio, floribus minimis umbellatis. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 13. & Elichryſum Africanum fruteſcens Coridis folio, flore albo *Oldenl. Tourn. inſt. p.* 453. quod idem habetur ac Elichryſum Aethiopicum fruteſcens Coridis foliis incanis, capitulis parvis, glomeratis, inter ramulos diſperſis a *Plukn. in Amalth. pag.* 72. quodque idem forte putat auctor, ac Eriophoros Aethiopica, folio Coridis craſſiori, globulis lanoſis inter ramulos ſparſim naſcentibus. *Amalth. p.* 74. cujus autem folia longiora nec ita faſciculata.

GNAPHALIUM fruteſcens, tomentoſum, folio oblongo, floribus comoſis.

Tab. LXXIX. *Fig.* 4.

FRutex hic ramos gerit craſſos, lignoſos, teretes, lanugine molli inſtar telae aranearum inter folia ſparſa, quae creberrima in caule proveniunt in ramis autem floriferis rara, ac hinc inde diſperſa; folia autem ſunt ſolitaria, ſeſſilia, lata baſi ortum ſuum ducentia, ſenſim anguſtata, oblongo-acuta, craſſa, nervoſa, Rosmarini foliis aemula, ſed breviora ac magis acuminata. Flores in ramulis ſimplicibus, mollibus, incanis, raro foliolatis proveniunt, ſex ſeptemve in corymbum collecti, petiolis brevibus propriis inſidentes, qui calice lato, ſplendente, argenteo, imbricato continentur, coloris lutei. Cumque hac convenire puto Helichryſum Africanum, folio anguſto, tomentoſo, floribus umbellatis, facie Pedis Cati *Herm. Cat. Pl. Afric.*


Fig. 3.
Fig. 1.
Fig. 2.

Afric. p. 13. & Elichryſum Africanum, arboreum, Roriſmarini folio. *Oldenl. Cat. alt. Pl. Afric. p.* 27. & *Tournef. inſt. p.* 454. atque Xeranthemum e Capite Bonae Spei Roſmarini folio *Petiv. Cent. num.* 299. quod Xeranthemum Capenſe Roriſmarini folio, flore albo. *Petiv.* in *Ray tom.* 3. *app. p.* 239. *num.* 22. & Xeranthemum flore albo, Ericae foliis tomentoſis, Prom. Bonae Spei. *Plukn. Almag. p.* 395. ubi inquirit, an ſit Argyrocome Gnaphaloidi affinis, Xeranthemi flore, foliis Serpilli tomentoſis *Breyn. Prodr.* 2. *p.* 16. Huc & pertinet Gnaphalium Aethiopicum, ſubrotundis foliis, maxime tomentoſis, ſummo caule romoſius floribus argenteis. *Plukn. Mantiſſ. p.* 92.

GNAPHALIUM *tomentoſum, foliis undulatis, flore ſpecioſo.*

Tab. LXXX. *Fig.* 1.

HUmilis haec planta plurimos emittit caules ſimplices, ſpithamales, quam maxime tomentoſos, incanos, qui folia incerto ordine gerunt ſeſſilia, oblonga, undulata ſeu criſpata, ſuperius viridia, inferius incana, mollia; Flores caulem terminant rariores ſex ſeptemve ſimul in corymbum collecti, ſinguli ſuis petiolis inſidentes, latiſſimi, elegantes, ſplendentes, candidi, calice imbricato ſquammoſo, ſpadiceo contenti, ſemina uti in aliis congeneribus perficientes. In *Herbar. Witſ.* hanc cum ſubſequentibus inveni plantam, quam denominari cenſeo Helichryſum Africanum, foliis undulatis, rigidis, quinquenerviis. *Herm. Cat. Pl. Afric. pag.* 13. & Elichryſum Gnaphaloides criſpatis foliis, Monomotapenſe in *Plukn. Mantiſſ. p.* 67. & *Ray tom.* 3. *p.* 171. *num.* 24.

GNAPHALIUM incanum, anguſtifolium, calicis ſquamis ferrugineis reflexis.

Tab. LXXX. *Fig.* 2.

RAmoſiſſima haec planta eſt mollis ac tota incana, ad geniculos folia gerens alternata, anguſta, ſeſſilia, mollia, ac incana, quae ex alis plures minores dant ramulos floriferos, in ſummo flores gerentes pauciores, qui iterum diviſi ad extremum gemellos producunt flores, rigidos, albicantes, Thymum olentes, quorum calix eſt peculiaris ex plurimis ſquamulis ferrugineis omnibus deorſum reflexis, obtuſis, ſplendentibus conſtans, quod ſingulare in hac ſpecie eſt; atque hinc ab *Herman. in Catal. Pl: Afric. p.* 13. vocatur Helichryſum folio tomentoſo, anguſtiſſimo, ſquamis acutis ferrugineis deorſum reflexis, quod forte Gnaphalium Cap. Bonae Spei, floſculis rigidis, albis. *Petiv. Cent. num.* 229. & Gnaphalium Aethiopicum, minus, ſubrotundis foliis, maxime tomentoſis, ſummo caule ramoſius, floribus argenteis. *Plukn. Mantiſſ. pag.* 92. & *Ray tom.* 3. *p.* 193. *num.* 36. ubi plures occurrunt Africanae ſpecies.

GNA-

GNAPHALIUM foliis oblongis ſaepe reflexis, floribus in ſummo faſciculatis, ſeſſilibus.

Tab. LXXX. *Fig.* 3.

FRuticoſa haec planta videtur, quum rami ejus ſint lignoſi, molli tamen lanugine albicante obducti, folia emittentes alternata, rariora, ſeſſilia, oblonga, ſaepe reflexa vel incurvata (quod ſculptor non ſatis notavit) mollia, ac incana.

Rami ad ſupremum in alios ſimplices, minores, floriferos dividuntur, in ſummo gerentes floſculos oblongos, rubentes, calice anguſto incano, ſquamoſo contentos, ſex ſeptemve faſciculatim collectos, ad foliorum alas ſeſſiles. Atque denominari hanc plantam puto Elichryſum Gnaphalii acutis foliis, capitulis parvis. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 13. & Gnaphalium Africanum, fruticoſum, foliis minimis, acutis, reflexis, floribus in ſummis ramulis confertis *Ray tom.* 3. *p.* 191. *num.* 7. vel etiam Helichryſum foliis longis, auguſtis, floribus parvis, rubris, in ſummo caule faſciculatim congeſtis *Ray tom.* 3. *p.* 170. *num.* 19. ubi ejus deſcriptio noſtrae plantae optime conveniens. Omnes has ſpecies ad unum Gnaphalii reduximus genus, quod ab aliis inter Elichrysum etiam fuit diviſum, qui vocabant illas ſpecies, quae calices latiores ſplendentes atque immarceſcentes gerebant *Elichryſa*, ſpecies vero, quae calices ignobiliores, anguſtiores, ac flacceſcentes habebant, *Gnaphalia* ipſis fuere dicta, quae & foliaturam in fila quaſi ductilem etiam utcunque gerebant, quum vero flores ac ſemina ſtructura conveniant, nulla ratio eſt, cur hoc ſeparemus genus, quod ſane

inter Capenſes plantas eſt elegantiſſimum, ac ditiſſimum, ita ut fere duplo plures, quam hic exhibui, inſuper poſſideam ſpecies, hae autem hic ſufficiant. Quodque huic operi reliquum eſt, in deſcribendis hujus regionis arboribus ineditis impendam, atque Corollarii inſtar ipſi ſubnectam.

JOANNIS BURMANNI,

Med. Doct. & in Horto Medico Amſtelaedamenſi Botanices Profeſſoris,

RARIORUM AFRICANARUM PLANTARUM,

Ad vivum delineatarum, Iconibus ac deſcriptionibus illuſtratarum

DECAS NONA.



AMSTELÆDAMI,

Apud HENRICUM BOUSSIERE.

MDCCXXXIX.

DOCTISSIMIS ET CELEBERRIMIS

VIRIS,

ADRIANO VAN ROYEN,

MED. DOCT. EJUSDEMQUE AC

BOTANICES PROFESSORI,

SOCIETATIS REGIAE LONDINENSIS SOCIO.

NEC NON

JOANNI FREDERICO GRONOVIO,

MED. DOCT. BOTANICO, AC BOTANICES

CULTORI PERITISSIMO

AMICIS INTEGERRIMIS.

Nonam Decadum partem
ſincere dicat

JOANNES BURMANNUS.



SIDEROXYLUM foliis ſubrotundis, integris, fructu oblongo.

SIDEROXYLUM foliis oblongis, integris, fructu rotundo.

PLANTARUM AFRICANARUM DECAS NONA.

SIDEROXYLUM foliis oblongis, integris, fructu rotundo.

Tab. LXXXI. *Fig.* 1.

ARbor haec in ſylvis creſcit, cujus rami ſunt longiſſimi, laxi, cortice ſcabro, pallide virente ſeu flavo obducti, qui folia dant gemina oppoſita, fere ſeſſilia, ſunt autem lata, craſſa, oblonga, integra, glabra, viridia, macula una alterave nigricante notata. Ramorum ſummum terminant flores comoſi, propriis pedunculis parvis inſidentes, tetrapetaloides, albicantes, ſine ullo calice, quantum ex depicta apparet, poſt hos ſequitur fructus, qui eſt bacca rotunda, mollis, caerulea, monopyrena *a*, unicum oblongum oſſiculum *b*, ſtriatum continens. A variis haec arbor, hujusque ſpecies denominatae fuere, a nullo autem, quantum novi, haec deſcripta, multo minus cum flore ac fructu depicta, vocaturque haec arbor in *Cod. Witſ.* Arbor

Africana, procera, flore albo, *Eerſte Yſerboom*, ſeu Syderoxylum primum; ubi annotatur, quod in ſylvis creſcat, menſe Septembri florens, lignumque praebeat duriſſimum, aptum ad trabes aſſeresque conficiendos, elaboratu autem difficillimum. *in Parad. Bat. Prodr. pag.* 375. audit Sidroxylum Africanum, ſeu lignum ferrea duritie, folio oblongo. Lignum ferreum vulgo. & *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 21. & *Plukn. Almag. p.* 346. cujus in *Phyt. Tab.* 223. *Fig.* 6. ramus foliis tantum inſtructus, ſed alternis, quum noſtra ſint oppoſita, exhibetur. *Caſp. Commel.* in *Catal. MSto* de hac arbore notat, „ Arbor eſt prunifera, florem fert tetrapetaloidem, & fructum rotundum, „ caeruleum, unicum in ſe oſſiculum continentem.

SIDEROXYLUM foliis ſubrotundis, integris, fructu oblongo.

Tab. LXXXI. *Fig.* 2.

A praecedenti differt haec arbor, quod folia gerat longe minora, rotundiora, ac breviſſimis pedunculis adfixa, ſunt autem craſſa, venoſa, integerrima, glabra, ſupra viridia, infra incana: Flores in lateralibus ramulis ex ſuperiorum foliorum alis in parvis racemis proveniunt tetrapetaloides, uti in praecedente ſpecie, ex viridi albentes, qui fructum dant Olivae-formem *a*, caeruleum, unicum in ſe continentem oſſiculum *b* oblongo-acutum fuſcum, ſtriatum. a *Caſp. Commel. in Catal, MSto.* vocatur Sideroxylum Africanum, ſeu Lignum ferrea duritie, fructu oblongo. & Sideroxylum Africanum, ſeu Lignum ferrea duritie folio ſubrotundo. *Herm. Cat. Plant. Afric. p.* 21. ubi & aliae hujus recenſentur ſpecies. in *Cod. Witſ.* vocatur Arbor Africana, flore albo, fructu nigro, oblongo,

Tweede





SIDEROXYLUM *foliis acuminatis, dentatis, fructu monopyreno, flavo.*

Tweede Yſerboom, ubi de ea adnotatur, quod in ſylvis creſcat, florens Septembri, quodque duriſſimo conſtet ligno elaboratu difficili, unde tamen trabes & aſſeres optime conficiuntur. Videtur eſſe Arbor *Naghas* ſeu ferrea dicta. *Herm. Muſ. Zeyl. p.* 7. quae in *Theſ. noſtro Zeyl. p.* 25. recenſetur, ac breviter ſequenti modo deſcribitur, „Floribus eſt roſaceis candidis, odore mo-„ ſchato, grato; Folia ſint bina oppoſita, longa, octo, vel „ duodecim digitos lata, ſubtus argentea, flores proveniunt „ ex alis foliorum cum ſquamoſo globulo, pedunculo brevi.„

SIDEROXYLUM foliis acuminatis, dentatis, fructu monopyreno, flavo.

Tab. LXXXII.

FIrma atque procera haec arbor ramos dat craſſos, rotundos, cortice ſcabro, flaveſcente obductos, qui folia emittunt bina utcunque oppoſita, brevi firmoque petiolo adfixa, ſunt autem ultra digitum longa, tres circiter lata, venoſa, acuminata, ad oras dentata, glabra, ſuperius viridia, inferius pallida; Ramuli floriferi ex horum alis proveniunt, flores in ſummo comoſos ſpicatim producentes, qui plurimi ſimul communi petiolo inſident, ex quatuor ſegmentis planis, oblongis, aequalibus, purpuraſcentibus conſtantes, unde, uti in aliis *Sydroxyli* ſpeciebus tetrapetaloides veri ſunt, poſt hos ſequitur fructus rotundus, per maturitatem flaveſcens, glaber, monopyrenus *a*, intus continens nucleum *b* oblongo-acutum, ſtriatum, fuſcum. in *Cod. Witſ.* vocatur haec Arbor Africana major, fructu ſubluteo, *Aſſagay-Boom* dicta, de qua notatur, quod


 in

in ſylvis creſcat, atque aedificationi optime ejus lignum inſerviat, ex quo Hottentotti ſariſſas ſeu *Aſſagay-Stokken* conficiunt, flores ſuos menſe Septembri producens. Hinc quoque haec arbor ab *Hermann. in Catal. Pl. Afric. p.* 1. vocatur Acontiphora Africana Belgice *Aſſagay-boom* ex qua Hottentotti tela *Aſſagay* dicta conficiunt. a *Caſp. Commel. in Catal. MSto.* dicitur Prunifera Africana, flore tetrapetaloideo, fructu flavo. Sideroxylum Africanum Ceraſi folio. *H. Amſt. Part. I. p.* 197. cum hac convenire videtur, quum vero floribus ac fructu ſit ibi deſtituta, incertum an ſit eadem. Hujus & altera ſpecies in *H. Eltham pag.* 357. *Tab.* 265. exhibetur, quae Sideroxyli primum, dein Coriae Indorum nomine data arbor vocatur, quod eſt Sideroxylum inerme *H. Cliffort. p.* 69.

PHILLYREA folio oblongo, fructu racemoſo.

Tab. LXXXIII. *Fig.* 1.

FRutex hic ad quatuor pedum altitudinem excreſcit, ramos undique ſpargens, qui in alios minores ſemipedales dividuntur, atque hi ſunt rotundi, cortice ſcabro nigricante obducti, folia incerto ordine nunc alternata bina tamen ſaepe oppoſita gerentes, breviſſimis petiolis inſidentia, ſunt autem oblonga, integra, utrimque viridia, glabra, inter quae racemus florifer exoritur plurimos albicantes flores tetrapetalos continens *a*, ſtaminibus minimis oppoſitis brevibus, luteſcentibus inſtructos, poſt quos ſequitur bacca globoſa lutea, per maturitatem caeruleſcens, unilocularis, ſemen magnum rotundum involvens. Ab *Hermann. in Cat. Pl. Afric. p.* 18. vocatur



PHILLYREA *folio oblongo, fructu racemoſo.*

PHILLYREA *foliis longis ſubtus flavis, fructu deciduo.*

tur Phillyrea Africana, Oleae folio, floribus albis, racemoſis. *Slangenhout.* a *Petiv. in Cent. num.* 651. Laurus tinus Prom. Bonae Spei, Oleae folio; *Slangenhout* vulgo. in *Cod. Witſ.* Frutex Africanus Oleae folio, ſeu Lignum Colubrinum, quod *Slangenhout* vulgo audit, ubi notatur, quod montibus creſcat arenoſis, ad quatuor pedum altitudinem, quodque ejus radicibus ad ſeroſos humores evacuandos Chirurgi in Promont. Bonae Spei utantur. in *Ray tom.* 3. *Dendr. p.* 52. vocatur Phillyrea Oleae folio D. *Herman.* ubi dicitur „ folia Phillyreae ſa- „ tis ſunt ſimilia, verum alternatim, & non bina ex adverſo; „ Flores & fructus e foliorum alis exeunt coacervati & in „ uno pediculo plures, velut racematim.

PHILLYREA foliis longis ſubtus flavis, fructu deciduo.

Tab. LXXXIII. Fig. 2.

SYlveſtris haec Phillyreae ſpecies eſt, altius quam praecedens excreſcens, majoresque gerens ramos bipedales, ſimplices cortice fuſco obductos, rotundos, atque hi folia gerunt bina oppoſita duplo longiora quam praecedentis, integra, glabra, ſuperius viridia, inferius flava, glabra, ſeſſilia, ex horum alis petiolus longus, ſimplex exoritur, flores pauciores ſuſtinens, poſt quos una alterave bacca excreſcit reliquis deciduis, quae eſt globoſa, nigricans, unilocularis *a*, ſemen flavum *b*, rotundum continens. ab *Herman. in Catal. Pl. Afric. p.* 18. vocatur Phillyrea Africana, Oleae folio & fructu majoribus. in *Cod. Witſ.* Arbor Africana, Olivae folio, fructu nigro; ubi dicitur, quod in ſylvis creſcat, & Septembri floreat.

PA-

PADUS foliis ſubrotundis, fructu racemoſo.

Tab. LXXXIV. *Fig.* 1.

FRutex hic in locis arenoſis inprimis creſcit, qui ramos gerit ſcabros, cortice fuſco tenui obductos, atque hi folia gerunt ſubrotunda, integra, venoſa, pallide virentia, breviſſimis petiolis inſidentia, alternata, ex horum alis petiolus longus excreſcit, qui flores gerit racemoſos, pendulos, campanulatos, pentapetalos, virides, calice lato monophyllo, quinquedentato contentos, poſt quos ſequitur fructus, qui eſt drupa ſubrotunda, viridis *a*, per maturitatem rubeſcens *b*, in cujus nucleo *c* ſemen ovatum flaveſcens *d* continetur, a *Caſp. Comm.* in *Catal. MSto* vocatur Ceraſus racemoſa, Africana, flore viridi in *Cod. Witſ.* Ceraſus avium fruticoſa, flore viridi. ubi notatur, quod montibus arenoſis creſcat quatuor pedes alta, florens Septembri. PADUS hoc genus a *Linn. in Char. Plant. gen. num.* 398. dicitur, ubi latius ejus notas vide characteriſticas.

PADUS foliis oblongis, fructu ſolitario.

Tab. LXXXIV. *Fig.* 2.

SEcundum litus in arenoſis haec arbor creſcit locis ſex pedes alta, florens Julio, uti notatur in *Cod. Witſ.* ubi Arbor Africana, lacteſcens flore viridi vocatur, quae in ramis minoribus folia gerit alternata, oblonga, integra, craſſa, venoſa, viridia, breviſſimis petiolis adfixa; inter haec flores exoriuntur plurimi, bini & terni ex eodem centro provenientes, pe-

tiolis



PADUS foliis oblongis, fructu ſolitario.

PADUS foliis ſubrotun-dis, fructu racemoſo.



CELASTRUS foliis ſubrotundis, dentatis, ſlore ac fructu racemoso.

tiolis curtis, firmis viridibus inſidentes, qui explicantur in petala quinque expanſa, oblonga, ſtaminibus longioribus praedita, ex albo-virentia, poſt flores ſubſequitur bacca ſubrotunda, viridis *a*, per maturitatem caerulea *b*, quae diſſecta intus albicat, ac nucleum angularem acuminatum *c* continet.

Forte eſt Thymelaea Africana, Laurifoliae ſimilis, floribus pallidis odoratiſſimis. *Oldenl. Cat. alt. Pl. Afric. p.* 33.

CELASTRUS foliis ſubrotundis, dentatis, flore ac fructu racemoſo.

Tab. LXXXV.

ELegans haec arbor ramos gerit pedales, rotundos, ſcabros, cortice fuſco obductos, in alios minores ſimplices diviſos, qui folia producunt bina oppoſita, ſemiuncialibus petiolis adfixa, tres pollices lata, quatuor vero longa, venoſa, glabra, obſcure virentia, ſubrotunda, ad oras dentata. Flores vero copioſi, in racemis amplis congeſti proveniunt, in quinque petala oblonga, aequalia, patentia expanſi, roſacei, ſtaminibus quinque praediti, coloris ex albo virentis; Poſt hos ſequuntur baccae ſubrotundae, gibbae *a*, obtuſe trigonae, triloculares *b*, purpuraſcentes, ſemina continentes tria, oſſea, triangularia, acuta, ſpadicea *ccc*. In *Collect. D. van der Stell* hanc arborem inveni accurate in loco natali depictam, quae proxime cum CELASTRI genere a *Linn.* in *Char. Pl. gen. num.* 168. definito convenit. Forte eſt Lycium Africanum, Ceraſi folio. *Herm. Cat. Pl. Afric. pag.* 16.

CRATAEGUS foliis ſubrotundis, ſinuoſis; flore ac fructu racemoſo.


Tab. LXXXVI.

RAmi hujus arboris ſunt craſſi, longi, bipedales, cortice craſſo, ſcabro, nigro obducti, qui folia gerunt ſeſſilia, bina utcunque oppoſita, craſſa, nervoſa, glabra, obſcure virentia, ſubrotunda, ad oras ſinuoſa; Flores ex foliorum alis proveniunt in racemos inordinatos collecti, ſinguli petiolo ſuo inſidentes, ſunt autem pentapetali, roſacei, patentes, variis ſtaminibus cum ſtylo curto ſubulato gaudentes, coloris albicantis. poſt hos baccae rariores excreſcunt ſubrotundae, carnoſae, virides, per maturitatem purpuraſcentes, glabrae *a*, intus continentes oſſicula bina acuminata, oblonga, rubentia *bbb*. In *Cod. Witſ.* vocatur haec arbor Ceraſus Africana, fructu nigro, flore albo *Lepelboom* Belgis; de qua dicitur, quod creſcat in ſylvis, florens Julio. & quod ex ejus ligno Cochlearia & Patinae optime conficiantur, unde & *Lepelhout* ab *Hermanno in Catal. Pl. Afric. p.* 16. vocatur, ubi Lycium Africanum rotundifolium, incanum majus porro audit. & a *Caſp. Commel. in Catal. MSto* vocatur Prunifera Africana, fructu oſſicula duo includente, nigro, flore albo. & Celaſtri folio glauco arbor e Prom. Bonae Spei *Lepelhout* vulgo. *Petiv. Cent. num.* 627. hujus variae occurrunt ſpecies ſeu varietates ab *Herman. in Catal. Pl. Afric. p.* 16. notatae, quae foliatura ut plurimum differunt, ſicuti & nuper ejus ſpeciem ex Promont. Bonae Spei accepi nomine Ceraſus flore albo fructu nigro *Lepelhout* vulgo; ejus folia ſunt longa, duplo anguſtiora, ad oras dentata, flores vero in ramorum ſummo comoſi in laxas magnasque

ſpicas



CRATAEGUS *foliis ſubrotundis, ſinuoſis; flore ac fructu racemoſo.*





CRATAEGUS *foliis oblongis, acuminatis, fructu quinqueloculari.*

ſpicas collecti duplo minores, quam in hac ſpecie, quod Lycium longioribus foliis *Hermanni* videtur.

Crataegum hanc arborem vocavi, quum flores ejus, fructusque optime conveniant cum charactere Crataegi a *Linnaeo in Char. Pl. gen. num.* 404. huic generi definito, ubi ſingulae partes ſyſthematice explicantur.

CRATAEGUS foliis oblongis, acuminatis, fructu quinqueloculari.

Tab. LXXXVII.

ARbor haec ramos gerit craſſos, ſcabros, longos, bipedales, quorum folia bina utcumque ſunt oppoſita, ſeſſilia, tenui principio ortum ſuum habentia ſenſim ad duorum digitorum latitudinem dilatata, quae iterum anguſtantur atque acuminata deſinunt, ſunt autem craſſa, venoſa, integra, utrimque laete viridia: Flores ex foliorum alis proveniunt petiolis firmis inſidentes, racemoſi, calicibus ſquamoſis latiſſimis deciduis contenti, qui ſunt pentapetali, variis ſtaminibus gaudentes, coloris ex albo virentis, poſt quos ſequitur fructus racemoſus, rotundus, ceraſinus, ruber *a*, nucleum oblongum ſtriatum, quinquelocularem *b* forte & quinqueangularem *c* continens, in quo continentur oſſicula *ddd* quinque, oblonga, utrimque acuta, anguloſa, flava.

A *Caſp. Commel. in Catal. MSto* vocatur Crataegus Africana, flore albo, Cerasi folio. in *Cod. Witſ.* Arbor Ceraſus avium Africana, fructu rubro, flore albo; *Witte Boom*, Belgis. ubi annotatur, quod in ſylvis creſcat, florens Septembri; cujus lignum eſt molle, elaboratu facile, unde & uſui Mechanico multum inſervit, quum haec arbor cum antecedente proxime conveniat, & eo hanc reduximus, licet loculis differat.

CELTIS foliis ſubrotundis, dentatis, flore viridi, fructu luteo.

Tab. LXXXVIII.

IN ſylvis haec arbor invenitur non alte nec late excreſcens, ramos gerens ſcabros, cortice nigro obductos, ligno flaveſcente, quod vix uſurpatur; folia vero gerit alternata, petiolis brevibus adnata, ſubrotunda, ex latiore baſi ſenſim anguſtata, & ad oras dentata, venoſa, viridia, glabra; inter haec flores proveniunt ſolitarii pediculis tenuibus, teretibus inſidentes, petalis quinque conſtantes totidemque ſtaminibus antheris rubris ſubrotundis inſtructis cum germine ſubrotundo, quod in duos ſtylos cornutos ſeu reflexos & patentes abit, unde excreſcit bacca globoſa, glabra, lutea, unilocularis *a*, ſemen unicum ſubrotundum *b* nigrum continens. Vocatur in *Cod. Witſ.* Ceraſus Africana, Ulmi folio, flore viridi, ubi notatur, quod in ſylvis creſcens floreat Septembri, &c.

LO-



CELTIS *foliis ſubrotundis, dentatis, flore viridi, fructu luteo.*



LONICERA *folio acuto, ſerrato, flore pendulo, fructu oblongo.*

LONICERA *foliis lucidis, acuminatis, dentatis, fructu rotundo.*

LONICERA folio acuto, ſerrato, flore pendulo, fructu oblongo.


Tab. LXXXIX. *Fig.* 1.


IN ſylvis haec arbor creſcit ad quatuordecim pedum altitudinem, quae ramos gerit laxos bipedales, in alios minores diviſos, qui ſunt rotundi, glaberrimi, virides; folia gerentes bina oppoſita, fere ſeſſilia, oblongo-acuta, ad oras ſerrato-dentata, venoſa, viridia, glabra; Ex horum alis flores gemini utcunque, dependentes proveniunt, e petiolo unciali, rotundo, viridi, calice parvo, obtuſo, quinquepartito, viridi contenti, qui flos ex unico petalo, oblongo, tubulato, ſenſim dilatato, ad oram laeviter reflexo, ſubrotundo conſtat, coloris ſanguinei, cujus ſtamina paulo ſunt longiora, flaveſcentia, erecta, antheris luteis ornata, poſt quem ſequitur fructus, quae eſt bacca calyculata *a*, oblonga, acuta, *b* viridis, glabra, intus continens ſemina ſubrotunda, compreſſa, glabra, ſpadicea *cc.* in *Cod. Witſ.* vocatur Solanum Africanum, fruteſcens, fructu longiori, flore rubro, quod Periclymeni proprie eſt ſpecies, Lonicera a *Linnaeo in Char. Plant. gen. num.* 162. dicta, ubi notas ejus vide characteriſticas.

LONICERA foliis lucidis, acuminatis, dentatis, fructu rotundo.

Tab. LXXXIX. *Fig.* 2.

SImili modo & loco, quo praecedens, haec arbor provenit ramis latiſſimis, longis, laxisque, qui itidem ſunt rotundi, ſed magis flaveſcentes, folia etiam bina gerentes ſed longioribus & fere uncialibus ſuſtentata petiolis, ſunt autem lata, ſenſim anguſtata, acuminata, ad oras dentata, lucida, pallide virentia, glabra. Flores ad ramorum ortum, & in eorum inferiori parte, ubi nulla folia progerminant, dependent longi, anguſti, tubuloſi, rubentes, longioribus ſtaminibus ac ſtylo acuto *a* praediti, calice trigono *b*, obtuſo, glauco contenti, qui cum bacca excreſcit, quae eſt rotunda, glabra, viridis, Ceraſorum forma *c*, ſed ſingulari acuto ſtylo ornata *d*; Semina intus contenta ſunt angulata, compreſſa, glabra, ex viridi flaveſcentia *e e*. in *Cod. Witſ.* vocatur Solanum Africanum fruteſcens, fructu rotundo, flore rubro, ubi annotatur, quod in ſylvis plurimum creſcat, quatuordecim pedes alta. ab *Herm. in Cat. Pl. Afric. p.* 17. dicitur Periclymenum Africanum, foliis lucidis, acuminatis, laeviter ſerratis.





CARYOPHYLLAEA *fruticoſa,*
foliis alternis, oblongis.

CARYOPHYLLAEA fruticoſa, foliis alternis, oblongis,
(Mas), & (Femina).
Tab. XC. (Fig. 1). (Fig. 2).

EX radice longa, lignoſa, fuſca, ſimiles breves laterales fibras emittente oritur hic frutex, ramis pluribus in minores diviſis ſeſe erigens, viridibus, glabris, rotundis, qui folia alternatim emittunt fere ſeſſilia, breviſſimis petiolis inſidentia, oblonga, glabra, venoſa, integra, viridia, ad ſummum minora, ubi flores ſolitarii proveniunt pentapetaloides, nudi, in quinque ſegmenta, ſubrotunda, aequalia diviſi, coloris albicantis, atque hi in femina formam habent oblongam, tubuloſam, craſſam, viridem, germen infra petala gerentem, quod excreſcit in piſtillum longum, bifidum, ſtamina autem in hiſce floribus obſervare potui nulla, videturque completus eſſe flos femininus, unde & hic frutex merito femina in *Cod. Witſ.* vocatur; fructus autem excreſcens eſt oblongus, acuminatus *a*, ſuperius in duos apices *b* dehiſcens, forte eſt & bilocularis ac bivalvis, ſcaber, fuſcus, ſemina plana, tenuia, ſubrotunda continens, ex nigro colore fuſca *cc*. In *Cod. Witſ.* vocatur Frutex Africanus, femina, flore albo, ubi notatur, quod plurimum creſcat ad pedes montium ſaxoſis inprimis locis ad trium pedum altitudinem excreſcens, florensque Septembri, fructus autem ejus acerrimus eſt; & quod notandum, ſemper tanquam fida conjux obſervatur cum ſubſequente frutice uno in loco, qui nullum umquam dat ſemen & florem penitus habet maſculinum ex petalis & plurimis ſtaminibus tantum conſtantem, quique frutex Africanus mas in *Cod. Witſ.* vocatur,

nulla

nulla re niſi fructificatione a ſe invicem hae plantae differunt, & uti Cannabis mas & femina, ſic & hae, una eſt mas, altera femina; forte eſt Olae folio frutex Africanus. *Herm. Cat. Pl. Afric. pag.* 17. Caryophylloides Africana, mas & femina, flore albo a *Caſp. Commel. in Catal. MSto* vocantur hi frutices, ubi dicit „Caryophylloides has plantas vocavi ob ſimilitudi-
„ nem, quae floribus ipſius feminae cum futuri fructus rudi-
„ mento ſumptis, & ipſis Caryophyllis aromaticis eſt com-
„ munis:

Nos vero *Caryophyllaeas* potius hos frutices vocavimus ad *oi-des* determinationem vitandam noviſtis ſyſthematicis criticis adeo inviſam, & condemnatam.

JOANNIS BURMANNI,

Med. Doct. & in Horto Medico Amſtelaedamenſi Botanices Profeſſoris,

RARIORUM AFRICANARUM PLANTARUM,

Ad vivum delineatarum, Iconibus ac deſcriptionibus illuſtratarum

DECAS DECIMA.



AMSTELÆDAMI,

Apud HENRICUM BOUSSIERE.

MDCCXXXIX.

DOCTISSIMIS AC CLARISSIMIS VIRIS

JOSEPHO SERRARIO,

MED. DOCT. ET L. A. M. PHILOSOPHIAE, MATHESEOS, MEDICINAE, BOTANICES, ET INSTITUTIONUM MEDICARUM IN ACADEMIA ULTRAJECTENSI PROFESSORI ORDINARIO.

ATQUE

JOANNI OOSTERDYKIO SCHACHTIO,

MEDICINAE DOCTORI ET L. A. M. MEDICINAE PROFESSORI IN ACADEMIA ULTRAJECTENSI ORDINARIO,

AMICIS INTEGERRIMIS.

Decimam hanc Decada
obſtricte dedicat

JOANNES BURMANNUS.



Fig. 2.

Fig. 1.

RHUS arboreum trifoliatum, latifolium.

RHUS fruticosum, foliis trifidis, linearibus, acuminatis.

PLANTARUM AFRICANARUM DECAS DECIMA.

RHUS fruticoſum, foliis trifidis, linearibus, acuminatis.

Tab. XCI. Fig. 1.

EX radice craſſa, lignoſa, repente, fuſca, oritur hic frutex plurimis ſeſe attollens ramis ſparſis, laxis, fragilibus, folia cito demittentibus, nec non niſi unius anni retinentibus, quorum adultiores ſunt ſcabri, inaequales, fuſci, craſſi, rotundi, penitus aphylli, juniores autem ſunt tenues, rotundi, virides, glabri, atque hi folia emittunt breviſſimis petiolis innixa, trifida, ſeu tria communi ex centro & petiolo orta, quae ſunt longa, tenuiſſima, integra, linearia, acuminata, viridia, ad ramorum ſummum progerminantia, in quorum faſtigio flores exoriuntur ſpicati, in ſpicam ſimplicem longam excreſcentes, qui pentapetali ſunt, roſacei, quinque ſtaminibus gaudentes, poſt quos ſequitur bacca *a* ſubrotunda, rubens, glabra, ſemen unicum *b* ſubrotundum, griſeum conti-

nens, uti in aliis Rhois ſpeciebus. In *Cod. Witſ.* vocatur Frutex Africanus Rosmarini foliis, baccifer, flore viridi odorato, ubi notatur, quod in locis creſcat ſaxoſis ad duorum pedum altitudinem florens Septembri. ab *Herman. in Catal. Pl. Afric. p.* 19. dicitur Rorismarini foliis, ternis, anguſtis, fruteſcens planta Africana, floribus ſpicatis, pentapetalis, minimis, cujus & minor ibi notatur varietas. huc & pertinet Rhus Africanum, ſtrictiſſimis foliis trifoliatum, ex Prom. Bonae Spei *Plukn. Amalth. p.* 183. & Rhus Africanum, longo & anguſto folio, ſubtus incano, non crenato. D. *Sherard* in *Ray tom.* 3. *dendr. p.* 57. *num.* 5.

RHUS arboreum, trifoliatum, latifolium.

Tab. XCI. Fig. 2.

PLurimae hujus arboris non tantum in Africa ſed noſtra in patria occurrunt varietates, immo Hortus Medicus ultra decem alit hujus diverſitates, quarum & alias in Herbario meo ſervo omnes tamen ex Promontorio Bonae Spei partim deductas, partim per artem propagatas, quae foliatura inprimis ſeſe diſtingunt, una arbor nempe folia habet glaberrima, nunc viridia, nunc glauca, altera hirſuta penitus, altera folia gerit oblonga, altera rotunda penitus, altera foliaturam dat integram, altera vero inciſam ac dentatam, quarum plures varietates poſt arboris hujus deſcriptionem ex citandis ſub finem auctoribus poterunt colligi. Provenit itaque haec arbor ex radice multum fibroſa, intricata, quae plurima ſurſum ſaepe emittit flagella, trunco recto, firmo, ſcabro ſeu inaequali, fuſco, hominis altitudinem ſaepe attingente, qui in varios ſeſe

ſe dividit ramos bipedales & ultra longos, rectos, ſimplices, raro diviſos, nunc glabros nunc hirſutos, nunc virides nunc purpuraſcentes, qui folia alternatim gerunt petiolo communi adfixa, unde tria ſemper minora petiola propullulant ſingula ſuum ſuſtinentia folium, quod trifoliatum inde eſt, atque hoc quam maxime variat nunc enim eſt glaberrimum, viride, utrimque, ſaepe ſubtus pallidum ac glaucum, ſaepe & totum hirſutum, nunc verò eſt rotundum nunc vero penitus oblongum, immo acutum, omnia vero ſunt craſſa, venoſa, medio utcunque folio latiore; atque ex horum ortu flores racemoſi utcumque ſpicati proveniunt calice quinquedentato contenti, petalis quinque ovato-acutis *a*, erectis patentibus, totidemque ſtaminibus conſtantes, poſt quos ſequitur capſula ſubrotunda *b*, unilocularis, ſemen ſolitarium globoſum *c* continens, uti ex figuris marginalibus patet. Hancque ex plantis ad Caput Bonae Spei ad vivum depictis D. *van der Stell* producimus, quam ſaepius in *Horto Medico* florentem itidem conſpeximus, atque examini ſubjecimus. Cumque hac ſequentes denominationes convenire puto. Rhus Africanum trifoliatum majus folio rotundo glabro. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 18. ubi decem hujus varietates habet, atque Lentiſcus Africana trifolia, humilis in *Parad. Bat. Pr.* vocatur. & Rhus Africanum, trifoliatum, majus, folio ſubrotundo, integro, molli & incano. *Plukn. Almag. p.* 319. quarum plures in *Phyt. Tab.* 219. exhibet. vide & *Amalth. p.* 183. atque *Boerhaav. Ind. H. L. B. part.* 2. *p.* 229. qui & varias recenſet, quas Rhus foliis ternatis *Linnaeus in H. Cliff. p.* 111. vocat. & Rhus Capenſis trifoliata, villoſa, integra. *Petiv. Hort. Sicc. in Ray tom.* 3. *app. p.* 248. ubi ſex recenſentur varietates, quarum & plures in *Ray tom.* 3. *dendr. a p.* 56 *ad* 59. atque apud alios occurrunt auctores.

LEU-

LEUCOXYLUM foliis Laurinis oppoſitis, obtuſis; fructu majore.

Tab. XCII. *Fig.* 1.

SYlveſtris haec arbor ramos gerit craſſos, ſcabros, cortice nigricante inaequali obductos, rotundos, qui folia incerto ordine gerunt, utcumque tamen oppoſita, breviſſimis ſed firmis petiolis viridibus inſidentia, ſunt autem lata, craſſa, venoſa, utrimque viridia, integra, oblonga, obtuſa; ad horum ortum flores utcumque progerminant plurimi, ſinguli tamen ſuo petiolo inſidentes tenui tereti ac viridi, atque hi forma oblonga viridi in apices rubros deſinunt, quorum figura in ſchemate ad Caput Bonae Spei per *Witſenii* curam depicto haud exacte eſt notata, fructus autem excreſcens eſt bacca ſubrotunda caliculata viridis, per maturitatem caeruleſcens *a*, quae inter arbores *Boeke boom* Belgis dictas in *Cod. Witſ.* recenſetur, videturque Leucoxylum Africanum, ſeu arbor baccifera, foliis ex oppoſito ſubrotundis, bacca polypyrena, acidula. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 15.

LEU-



Fig. 1.

Fig. 2.

LEUCOXYLUM foliis Laurinis oppoſitis, obtuſis; fructu majore.

LEUCOXYLUM foliis Laurinis alternis, acuminatis, fructu minore.

LEUCOXYLUM foliis Laurinis alternis; acuminatis, fructu minore.

Tab. XCII. Fig. 2.

IN ſylvis hae arbores creſcunt, atque inde aſſeres ac trabes conficiuntur, uti notat *Cod. Witſ.* ubi haec Arbor Africana baccifera, ſeu *Boekenboom* vocatur. Quae ramos gerit craſſos, magnos, cortice ſcabro ac fuſco obductos, qui in ſimplices minores dividuntur, folia gerentes alternata, magna, oblonga, integra, viridia, venoſa, Laurinis aemula, inter quae flores plurimi ſolitarii proveniunt, brevibus petiolis inſidentes, qui in quinque petala obtuſa erecta dividuntur, cum geminis ſtylis longioribus paralellis, rubentibus, qui fructus ſeu baccas dant globoſas, glabras, ex viridi nigricantes: Arboris hujus in *Cod. Witſ.* tres occurrunt ſpecies ſeu varietates, fructibus majoribus ac minoribus, frequentioribus ac rarioribus, uti & foliatura majori alternata, ac oppoſitâ differentes, quae ab *Hermann. loc. cit.* etiam ſunt notatae, ubi per denominationes liquido ſatis diſtinguntur. atque haec arbor videtur eſſe Leucoxylum Africanum ſeu arbor Baccifera foliis alternis laurinis *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 15. Huc pertinet Arbor Africana, Laurifolia, cortice nigro. *Boekeboom* Belgis. *Boerh. Ind. H. L. B. part.* 2. *p.*2 3. & Mezereon Africanum, folio craſſo, *Boekeboom* dictum *D. Sherard.* in *Ray tom.* 3. *dendr. p.* 53.

XANTHOXYLUM ſeu arbor Baccifera, foliis Oleae ſubtus flaveſcentibus.

Tab. XCIII.

IN *Cod. Witſ.* haec dicitur arbor Africana major, fructu nigro rotundo *Geelboom* Belgis, ubi annotatur quod in ſylvis creſcat, florens Septembri, quodque ejus lignum uſui Mechanico optime inſerviat; ab *Herman. in Catal. Pl. Afric. pag.* 10. vocatur frutex Africanus, monococcos Buxi majoribus foliis, floribus albis. ad quodnam proprie pertineat haec arbor genus, quum flores notati ſint nulli, determinare non poſſum, a Belgica denominatione Graeco flexu nomen tam diu deſumſi, donec de floribus certior ſim factus, de pruniferorum genere eſſe ex fructu ſatis conſtat, qui eſt bacca mollis, ſubrotunda, unilocularis *a*, ſemen ſubrotundum unicum *b* continens, qui germini geminus inſidere, quantum ex depicta figura conjicere poſſum, videtur. Arbor autem haec ramos gerit firmos, craſſos, cortice flavo ſcabro obductos, qui laterales ſimplices minores emittunt, atque hi folia gerunt ad ſummum maxime collecta, oppoſita, ſeſſilia, oblonga, anguſta, integra, ſupra viridia, infra ſubflava, nervo longitudinali per mediam folii partem valido flaveſcente decurrente, unde Buxi vel Oleae foliis ſimillima hujus ſunt folia, de flore mihi non conſtat, fructus vero ſupra deſcribuntur, atque in ramulorum ſuprema parte inter folia ſubtus penitus flava proveniunt ac diſperguntur. unde Xanthoxylum dixi arborem a ξανθὸς flavus, uti Leucoxylum ab Hermanno a λευκὸς albus dictum fuit.

RHAM-



XANTHOXYLUM seu arbor Baccifera,
foliis Oleae ſubtus flavescentibus.



RHAMNUS foliis ſubrotundo-acuminatis, fructu racemoso.

RHAMNUS foliis ſubrotundo-acuminatis, fructu racemoſo.

Tab. XCIV.

ARbor haec ad truncum majoresque ramos validiſſimis, longis acutisque ſpinis armata eſt, ubi foliis deſtituitur, quae in minoribus ac lateralibus propullulant ramulis, breviſſimis ſed firmis petiolis inſidentia, ſunt autem tres pollices circiter lata, quatuor vero longa, viridia, integra, ſubrotunda, acuminata, bina oppoſita; Ex horum alis flores racemoſi proveniunt, gemini, ſaepe terni, communi petiolo orti ac inſidentes, calice lato, quinquedentato contenti, petalis quinque oblongis, aequalibus, reflexis calici inſertis conſtantes, coloris flavi; poſt quos ſequitur fructus itidem racemoſus, ex baccis oblongis ſubrotundis umbilicatis, viridibus *a* conſtantes, ſemina continentes bina oppoſita, plana oblonga, acuminata, fuſca *bb.* In *Cod. Witſ.* vocatur Spina Africana, arboreſcens, flore luteo; ubi dicitur, quod in ſylvis creſcat, florens Septembri, quodque ſit aptiſſima ad ſepes inde formandas. Hancque puto ab *Hermann. in Catal. Pl. Afric. p.* 16. denominari Lycium Africanum Rhamni Cathartici foliis, ſpinoſum.

OOSTERDYKIA floribus denſe ſpicatis, foliis oppoſitis, integris, in impar deſinentibus.

Tab. XCV.

RAra haec elegansque arbor in magnam excreſcit altitudinem, quae ad ramos corticem gerit fuſcum, ſcabrum; Folia vero ex ramis per paria progerminant impari extremum ramorum claudente, ſunt autem digitum circiter longa, ultra pollicem lata, oblongo-acuta, ad oras laeviſſime velut dentata, utrimque viridia, ſplendentia; Ad florum ſpicam in rami majoris ſummo ſpatha brevis, craſſa ſubrotundo-acuminata *A* exoritur, quod ſingulare in hac arbore eſt; ex foliorum vero rachi florum ſpica provenit longa, ſemiſpithamalis, denſa, innumeris floribus ſtipata, ſtaminoſis, comam denſiſſimam gramini alopecuroidi ſimillimam efformantibus, qui ex eorum centro acutiſſimum conum ſeu ſtilum emittunt, qui fit fructus ſeminalis, oblongo-acutus, flaveſcens *a a*, per maturitatem dehiſcens, ac in duos apices *b b* ſeſe dividens, molli interſperſa lanugine *c* cum ſtilo excreſcente, emittens ſemina tenuiſſima, plurima, minima, ſubrotunda, nigricantia *d*. In *Cod. Witſ.* vocatur haec Arbor Africana, maxima, ſpicata, flore albo, *Elſeboom* dicta, ubi notatur, rara haec arbor in ſylvis excreſcit alta ac craſſa, quae apta eſt ad trabes & aſſeres inde formandos. ab *Herman. in Catal. Pl. Afric. p.* 2. Alni materie, ſeu ligno, arbor Africana, floribus ſpicatis albis, foliis Fraxini, *Eſſenbout* vulgo. Quum incerti generis haec cum ſubſequente eſſet arbor in honorem Clariſſimorum Medicorum ejusdemque facultatis Profeſſorum celeberrimorum *Ooſterdykiorum* patris nempe *Hermanni*, ac filii *Joannis*, prioris praeceptoris mei in Praxi feliciſſimi, ac expertiſſimi, poſ-

terioris



OOSTERDYKIA *floribus denſe ſpicatis,*
foliis oppoſitis, integris, in impar deſinentibus.

Tab. XCVI.



*OOSTERDYKIA floribus ſpicatis, pentapeta-
lis, foliis oblongis, ſubincanis, ſerratis.*

terioris in *Academia Lugdun. Batav.* coetanei, nunc itidem in *Acad. Ultraj.* Profeſſoris celeberrimi, hoc arborum genus *Ooſterdykiam* vocavi, & Aeſculapiis iſtis ſacrum facere volui.

OOSTERDYKIA floribus ſpicatis, pentapetalis, foliis oblongis, ſubincanis, ſerratis.

Tab. XCVI.

Simili, quo praecedens, modo haec arbor in ſylvis creſcit ſed locis inprimis humidis circa flumina ut notat *Codex Witſ.* ubi arbor Africana, major *Rode Elſeboom* dicta vocatur, quae prioris altera ſpecies habenda eſt, atque uti mihi appareret, hic mas altera faemina videtur, hujus enim flores in quinque petala cum totidem ſtaminibus ſunt diviſi, in quo nullus ſtylus nec embryo, fructus rudimentum apparet, qui nec etiam, uti alias ſolet, in *Cod. Witſ.* adnotatus eſt, ubi menſe Auguſto flores producere, atque ejus lignum operi mechanico optimum dicitur. Ramos caeterum ſpargit haec arbor laxos, ſimplices, qui folia ad rachim firmam longamque emittunt bina oppoſita, ſeu per paria extremo inpari claudente; ſunt autem ultra pollicem lata, digito longiora, oblonga, glabra, ſuperius viridia, inferius ſubincana, venoſa, ad oras dentata. Flores in ſpicas longas, foliorum rachim excedentes, atque ex ea ortum ducentes, laxas oriuntur pentapetali roſacei, maſculini. Spatha ad rami medii ſummum locatur ſubrotunda, integra, uti in praecedenti ſpecie, ſed loco ſpicarum floriferarum foliorum rachis utrimque erigitur, ſuſtinens folia ſimilia eodemque modo locata, ſed minora ac penitus flaveſcentia, quum caetera ſint viridia, ac ſubtus incana.

EVONYMUS foliis ſubrotundis, integris, fructu corniculato.

Tab. XCVII. *Fig.* 1.

IN dunis tres pedes alta haec arbuſcula excreſcit, quae ramos gerit pedales, ſcabros, fuſcos, in minores diviſos, qui folia producunt ſolitaria, irregulari ordine locata, brevibus petiolis adfixa, ſunt autem craſſa, ſubrotunda, integra, glauca; nervo medio craſſiore per dorſum excurrente. Flores menſe Julio faſciculatim in ramis ad foliorum ortum progerminant pentapetali, carnei coloris, roſacei, uti in aliis hujus ſpeciebus, poſt quos fructus ſubſequuntur acuti, corniculati *a*, in tres quatuorve erectos apices ſinguli diviſi, faſciculati *b*, primo virides, per maturitatem vero ex luteo-rubeſcentes, atque in tria ſegmenta acuta, aequalia *ccc* dehiſcentes, ſemina totidem ovata, glabra, ſtriata, crocea *dd* producentes. In *Cod. Witſ.* vocatur Euonymo affinis Africana prima. a *Caſp. Commel.* in *Catal. MSto.* Euonymus Africanus, Cotini folio. ab *Herman.* in *Catal. Pl. Afric. p.* 9. Euonymus Africana, folio vario. ac Euonymus Africanus, foliis Laurinis fructu aculeato. *Breyn. Faſcic. p.* 22.

EV-



EVONYMUS foliis ſubro-tundis, integris, fructu corniculato.

EVONYMUS foliis oblongis, dentatis, fructu cordato.

EVONYMUS foliis oblongis, dentatis, fructu cordato.

Tab. XCVII. Fig. 2.

IN ſylvis haec arbor invenitur quatuor pedum altitudinem attingens, non admodum craſſa, ramos emittens bipedales, rotundos, ſcabros, qui in minores ſimplices dividuntur, folia utcumque alternatim gerentes, oblongo-acuta, anguſta, viridia, lucida, ad oras dentata, brevibus petiolis adfixa, inter haec flores tres quatuorve ſimul, qui in ramorum ſummo ſaepe ſolitarii, eriguntur, petiolis longioribus inſidentes pentapetali, roſacei, albicantes, menſe Septembri florentes, qui fructus dant ſubrotundos, ſaepe & cordatos, glabros, primo virides, per maturitatem flaveſcentes, atquc ſeſe aperientes *aa*, ſemina oblonga, flava *bb* demittentes. In *Cod. Witſ.* vocatur Euonymo affinis Africana ſecunda. a *Caſp. Commel.* in *Catal. MSto* Euonymus Africanus, Ulmi folio lucido. ab *Herman.* in *Catal. Pl. Afric. p.* 9. Euonymus Africana, foliis Phillyreae ſerratae majoribus. ab *Oldenl.* in *Catal. ibid. p.* 28. Euonymus Africanus, folio lucido, ſerrato. hujus & altera ſpecies in *Cod. Witſ.* reperitur. quae triplo latioribus gaudet foliis, floribusque ſolitariis rarioribus. Quae Euonymus Africana folio lato & ſerrato lucido, a *Caſp. Commel. in Cat. MSto* vocatur, & Euonymo affinis, Africana arbor prunifolia *Cod. Witſ.* ubi annotatur, quod in ſylvis creſcat, florens Septembri. hujus autem ramulum *Tab. XCVII. Fig.* 3. exhibuimus, quae ab antecedente latiſſima foliorum forma, utcunque reflexa ac nervoſa diſtinguitur, flores haec gerit hinc inde rariores diſperſos; fructus autem craſſi flavi *aa* per maturitatem *bb* crocei pericarpio ſucculento, quadripartito plano flavo contenti, qui ſeſe aperientes

rientes vi quadam ſeu calyptra ſemina ſua emittere videntur, ſunt autem haec conica, acuta, reliquis majora, primo pallida *c*, per maturitatem vero ut capſulae, crocea *d*. Mire certe in harum arborum fructibus ludit ac variat natura, unde quum non exacte in omnibus ſibi ſint ſimiles nec juſte conveniant a quibusdam Euonymo ſimiles, ab aliis Euonymoides hoc genus ejusque ſpecies vocantur, nos vero in hoc variante ac luxuriante genere aliquid largiendum putamus, ac ob errores alias faciles ad unam claſſem redigendas praeponimus ſpecies.

MYRICA foliis oblongis, oppoſite ſinuatis. H. Cliff. p. 456.

Tab. XCVIII. Fig. 1.

ARbor haec a *Caſp. Commel.* in *Hort. Amſt. part.* 2. *pag.* 161. jam fuit, ſed ſine flore ac fructu deſcripta, vocaturque *ipſi* Laurus Africana minor Quercus folio, ubi obiter deſcribitur, differt vero a Lauro floribus imprimis, qui amentacei ſunt, imbricati, forma oblonga ſibi invicem arcte juncti, ex ſquamulis acuminatis concavis unifloris conſtantes, atque hi in maſculinos ac femininos in hoc genere utcunque diſtinguntur, qui ad foliorum alas ſeſſiles inprimis progerminant, poſt quos fructus ſeu bacca excreſcens ſubſequitur in racemum collecta *a*, ſcabra, unilocularis *b*, ſemen ſubrotundum glabrum *c* continens, atque haec in loco natali cura praefecti *vander Stell* eſt depicta, juxta quam perfectam hic exhibemus figuram. quae a *Pluknet*. Coriotragematodendros Africana, Botryos amplioribus foliis denſis in *Amalth. pag.* 65. vocatur, & in *Ray tom.* 3. *dendr. p.* 96. Gale Capenſis Oxyacanthae folio minori D. *Sherard.* & Gale Capenſis foliis laceratis. *Petiv. Hort. Sicc.* in *Ray tom.* 3. *app. p.* 245.

MY-



Fig. 1.

MYRICA foliïs oblongis, oppoſite ſinuatis. H. Cliff. p. 456.

Fig. 2.

MYRICA foliïs oblongis, obtuſe, vix, ac raro dentatis.

Fig. 3.

MYRICA foliïs ſubcordatis, integris, ſeſſilibus.

MYRICA foliis oblongis, obtuſe, vix, ac raro dentatis.

Tab. XCVIII. Fig. 2.

IN *Herbar. Witſ.* hanc invenimus a priori foliatura laeviter ac obtuſe dentata differentem, cujus folia ſunt oblonga, craſſa, glaberrima, nervo longitudinali ad dorſum protuberante, inter foliorum alas flores itidem amentacei, ſeſſiles, copioſiſſimi locantur, cum prioribus ſtructura convenientes, quam ad prioris diſtinctionem hic ſimul proponere lubuit. Eſtque forte Gale Capenſis Ilicis coccigerae folio. *Petiv. Muſ. num.* 774. atque Gale Capenſis, foliis integris ac ſerratis. *Petiv. Hort. Sicc. in Ray app. p.* 246.

MYRICA foliis ſubcordatis, integris, ſeſſilibus.

Tab. XCVIII. Fig. 3.


IN Collect. D. *vander Stell* rariſſima haec mihi obvenit arbuſcula eleganter ſatis in loco natali ad vivum depicta, cujus ramus circiter pedalis eſt, rotundus, craſſus, fuſcus; ad ſummum in ſimiles plures minores ſimplices erectos diviſus, qui foliis undique cinguntur, lata ac ſeſſili baſi ex illis ortum ſuum ducentibus; ſunt autem folia haec ſeſſilia, glabra, viridia, acute cordata, ſeu ex lata baſi ſenſim anguſtata & acuminata, integra penitus, ex horum alis floſculi ſpicati arctiſſime ſibi juncti, quantum videtur, amentacei proveniunt, elegantiſſime rubentes, qui fructum ſeu baccam dant ſubro-

tundam, glabram, capitulo ornatam *a* petiolo tenui inſidentem, quae an unilocularis, quum ſemen adpictum ſit nullum, pro certo aſſerere non poſſum. Videturque altera ſpecies ſeu varietas eſſe, quae Myrica foliis ſubcordatis, ſerratis, ſeſſilibus. *H. Cliff. p.* 456. *num.* 5. quae a *Plukn. Phyt. Tab.* 319. *Fig.* 7. exhibetur, vocaturque Tithymali facie planta Aethiopica Ilicis aculeato folio *Plukn. Alm. p.* 373. quae non niſi foliorum dentibus a noſtra differt, eſtque Arbuſcula Africana, foliis ſolitariis, triangularibus, dentatis abſque pedunculo arcte cauli ramisque adnatis *Boerh. Ind. H. L. B. part.* 2. *p.* 263. &c.

SERRARIA foliis tenuiſſime diviſis, floribus rubris, apetalis.

Tab. XCIX. *Fig.* 1.

FRutex hic in Africae locis ſabuloſis creſcit tres circiter pedes altus, qui ex longa, ſimplici, lignoſa, flaveſcente oritur radice, quae varias laterales emittit fibrillas, atque hic caudice erecto provenit in varias ſeſe dividens ramificationes, quae foliis creberrimis irregulari ordine locatis inveſtiuntur, folia autem ipſa ſunt ſeſſilia, longa, in tenuiſſimas inciſiones, more Foeniculi vel Anethi diviſa, viridia, glabra: Flores in ramorum ſummo, atque ad eorum divaricationes longo petiolo inſident, plurimi ſimul congeſti, calice communi primo, dein ſuo proprio ac ſimplici erecto calice *a*, quantum videtur, contenti, atque apetali, ex quatuor longis, magnis reflexis ac dependentibus ſtaminibus conſtructi cum antheris rubentibus oblongis *bb*, ex horum medio ſtilus *c* erigitur longus, ſimplex, ad ſummum protuberans, poſtque ſingulos flores ſequitur


Fig. 1.
SERRARIA foliis tenuiſsime diviſis, floribus rubris apetalis.
c
b
a
d
e
Fig. 2.
a
a
b
SERRARIA foliis tenuiſsime diviſis, capitibus tomentoſis.

tur vaſculum ſeminale, oblongum, ſimplex, uniloculare, viride *d*, unicum ſubrotundum parvum, griſeum ſemen *e* continens, vaſcula haec poſt emarcidos flores ſimul excreſcunt, atque capitulum ſubrotundum, inaequale, elegans *f* conſtituunt; ita ut peculiaris ſit generis ac ſtructurae frutex, qui in *Cod. Witſ.* Frutex Africanus, flore rubro, Foeniculi foliis vocatur; eſtque frutex Anethifolius Africanus, major, flore non ſericeo. *Herm. Cat. Pl. Afric. p.* 3.

SERRARIA foliis tenuiſſime diviſis, capitibus tomentoſis.

Tab. XCIX. *Fig.* 2.

EOdem, quo praecedens, hic frutex invenitur loco, ſimilique excreſcit modo, duos pedes altus, ex radice craſſa, longa, lignoſa ac fibroſa nigricante proveniens, in ſimplices erectos, rotundos ac fuſcos ramos diviſus, qui eodem modo ſimiliaque, ac praecedens folia gerit tenuiſſime diſſecta, in acutiſſimas majores minoresve inciſiones diviſa; Flores autem in ramorum ſummo progerminant, in denſiſſimos corymbos collecti, arctiſſime conſtipati, capitula mentientes, ſquamis plurimis ſuppoſitis oblongo-acutis flaveſcentibus ſuffulti, plurimis ſtaminibus longis rubentibus gaudentes, cum petalis planis albicantibus, quorum forma ac ſtructu, quum flos ſeparatus in exemplari non ſit notatus, me latet, fructus autem cum antecedente convenit, oblongo-acutus, ſimplex *a*, viridis, ſemen ſolitarium oblongum *b* continens, vocaturque in *Cod. Witſ.* Frutex Africanus flore albo, Faeniculi foliis, ubi Octobri menſe florere dicitur. ab *Herman.* vero in *Cat. Pl. Afric. p.* 3. nominatur Anethifolius frutex Africanus, minor,

capite tomentoſo. a *Breyn in Faſcic. p.* 25. Planta fruteſcens, Africana, perrara, foliis Peucedani, floribus conglomeratis, Herbae Caſtae Americanae non nihil ſimilibus. Hujus & tertiam ſpeciem in *Herbar. Witſ.* inveni, quae *Herm.* in *l. c.* eſt Anethifolius frutex Africanus, flore ſericeo, ſed qui a *Seba in Theſ. ſuo part.* 2. *Tab. XLIII. num.* 6. jam expreſſus eſt, vocaturque ibi Abrotanum Afric. foliis tenuiſſimis, flore luteo. SERRARIAM hoc genus dixi in honorem Clariſſ. Viri Joſephi Serrarii (*Serrurier*) Med. Doct. ejusdemque ac Botanices Profeſſoris Ultrajectenſis, cui ſacrum hoc novum fruticis genus facere voluimus.

BRUNIA foliolis creberrimis, lanceolatis, floribus conglobatis.

Tab. C. Fig. 1.

FRuticis hujus in Capite Bonae Spei plurimae occurrunt ſpecies ac varietates, uti ex allegandis ſub finem auctoribus liquido conſtabit, omnesque admodum ramoſae ſunt, in plures minores ramulos ſimplices diviſae, atque frutex, quem hic exhibemus, in *Collect. D. vander Stell* eleganter depictus eſt, cujus major ramus ſeſquipedalem fere obtinet longitudinem, qui in plurimos ramulos purpuraſcentes eſt diviſus, atque hi foliis undique creberrimis inveſtiuntur tenuiſſimis ſimplicibus, oblongo-acutis, erectis, ſeſſilibus, viridibus: Flores in ramulorum ſummo colliguntur plurimi ſimul in caput ſphaericum *a* congeſti, calice communi imbricato ſubrotundo contenti, proprio autem ſuo perianthio pentaphyllo inſidentes, petalis nunc quinque, nunc quatuor ſubrotundis patentibus, cum

toti-



Fig. 2.

Fig. 1.

BRUNIA *foliis oblongis, incanis, florum capitulo ramulum terminante.*

BRUNIA *foliolis creberrimis, lanceolatis, floribus conglobatis.*

totidem ſtaminibus capillaribus conſtantes, qui ſinguli ſemina dant oblonga, fuſca *c* ſolitaria, ſumma parte villoſa *d*: Varia nomina huic generi fuere impoſita; ab *Herm. in Cat. Pl. Afric. p.* 1. vocatur Abrotanoides Africana, Ericae foliis tenuiſſimis; a *Breyn in Faſcic. Pl. rar. p.* 23. Frutex Corymbiferus Africanus, Chryſanthemuli Ericoidis facie flore Globulariae. ac Lewiſanus Africanus, Ericae folio capitulo majori D. *Sherard in Ray tom.* 3. *dendr. pag.* 130. & Erica capitata ſeu nodiflora Africana procerior, Corios grandioribus foliis, varie inflexis, prope ſummitatem ſurculi in breviores ramulos divaricata. *Plukn. Mant. p.* 69. ubi alias hujus ſpecies Eriocepalos Bruniades in memoriam Alexandri *Brown* vocavit, quas BRUNIA *Linn. in Char. Pl. gen. num.* 175. dixit, ubi latius hujus generis characterem definit.

****

BRUNIA foliis oblongis, incanis, florum capitulo ramulum terminante.

Tab. C. *Fig.* 2.

HUjus & ſpeciei tres in *Herbar. Witſ.* inveni varietates foliorum ſtructura penitus convenientes, ſed latiore forma, viriditate, glabritie, canitie ſeu tomentoſitate, ac capitulis bombaciferis inter ſeſe differentes, caterum hi frutices itidem ſunt admodum ramoſi, ſuperius in plures minores ſimplices ramos diviſi, qui foliis creberrimis undique inveſtiuntur, folia autem ſunt oblonga, plana, craſſa, anguſta, in una ſpecie penitus glabra ac viridia, in alia vero tota quanta incana, ac molliſſima lanugine bombacis inſtar obducta, qua & capitula florifera itidem ſaepe obvolvuntur, quorum ſingu-

lum ramulum terminat, haec autem ex innumeris floſculis calice primum communi, dein proprio contentis componuntur, quorum deſcriptionem ad praecedentem plantam breviter exhibuimus, quae in ſyſthemate *Linnaei l. c.* latius examinari poteſt. Lewiſanus hoc genus a *Petiv.* dicitur, ac Lewiſanus Capenſis, Serpilli folio in *Gazoph. Tab.* 5. *Fig.* 7. huic eſt idem. vocaturque ab *Herman. in Cat. Pl. Afric. p.* 1. Abrotanoïdes Africana, Ericae foliis incanis, capitulis majoribus villoſis; & Ericae foliis tomentoſis acutis, ubi & plures aliae hujus generis recenſentur ſpecies. uti & in *Ray tom.* 3. *dendr. p.* 97. ubi Erica Corios foliis villoſis, floribus carneis in capitula globoſa digeſtis D. *Sherard* huic proxime convenit. Reſtaret, ut Ericae ſpecies, quarum plurimas ſervo, jam hic ſubnecterem, ut & antea mihi propoſueram, antequam operi huic finem inponerem, quum vero penſum hocce *Clariſſ. Adr. Royenus.* in ſe ſuſcepiſſe ac fere abſolviſſe profeſſus mihi fuerit, manum de tabula tollo, huicque ſuperſedeo labori ac Operi.

F I N I S.

IN-

INDEX.

Numerus Paginam indicat.

A*Brotanoides.* 267. 268
Abrotanum. 186. 266
Acetoſa trifolia. 67. 80. 81
Acetoſella. 67
Acontiphera. 236
ACTAEA. 147
Aculeoſa. 152
Agerato affinis. 222
Ageratum. 184. 186
Alaternoides. 117. 121
Alkekengi. 7
Alni materie arbor. 258
Aloë. 43
ANACAMPSEROS. 59
Anemone. 158. 160
Anemone affinis. 158
Anemonoſpermos. 153. 156. 158. 160
Angelica. 199
Anteuphorbium. 13
APIUM. 197. 198
APOCYNUM. 31. 32
Apocynum. 15. 29. 30. 31, 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38
Arbor. 233. 234. 235. 237. 238. 255. 258, 259
Arbuſcula. 264
ARCTOPUS. 1. 190
ARCTOTIS. 158. 160
Argyrocome. 177. 179. 182. 222. 225
Aſclepias. 29. 30. 33. 36. 38
Aſplenii facie. 156
Aſplenium. 156
Aſſagayboom. 235
ASTER. 176
Aſter. 153. 156. 157. 173. 176
Aſteroplatycarpos. 149
Auricula Urſi. 3
Baccharis. 185
BELLIS. 163
Bellis. 161. 162. 163
Boekeboom. 254. 255
BRUNIA. 266. 267
Bupleuri facie. 195
Bupleuro-affinis. 190. 192
BUPLEURUM. 195
Cabaroë. 166
Calendula. 156. 157. 158. 159
Campanula. 100. 101. 103. 140. 152
Capparidis frutex. 6. 7
Capparis. 4
Carduus. 151
CARLINA. 151. 153. 154
Carlina. 152. 153
CARYOPHYLLEA. 245
Caryophyllus. 190
Caryophylloides. 246
Celaſtri folio. 240
CELASTRUS. 239
CELTIS. 242
CENTAURIUM. 205. 206. 207. 208
Centaurium minus. 205. 206. 207. 208
Ceraſus. 238. 240, 241. 242
Ceterach. 156
CHAMAELEA. 116. 117. 118. 119. 120. 121
Chamaelea. 116. 117. 118. 119. 120. 121
Chamaeciſtus. 210
Chamare. 197
CHAMAEMELUM. 174
Chamaemelum. 174
CHRISTOPHORIANA. 145
Chriſtophoriana. 146. 147
Chryſanthemi flore arbor. 170
CHRYSANTHEMOIDES. 167
Chryſanthemoides. 170. 171
CHRYSANTHEMUM. 175
Chryſanthemum. 159. 163. 164. 165. 170. 171. 172. 173. 175. 176
Chryſocome. 177. 178. 179. 182. 214
Ciſtus. 205. *aizoides.* 76
COMA AUREA. 184. 185. 186. 187
Coma aurea. 184. 185. 186. 187
Coriotragematodendros. 262
CORYMBIUM. 189. 190
COTYLEDON. 39. 41. 43. 44. 45. 49. 51. 53. 54
Cotyledon. 40. 41. 42. 43. 46. 58
CRASSULA. 55. 56. 57. 58
Craſſula. 58
CRATAEGUS. 240. 241
Crataegus. 241
Crocodyliades. 154
CROTON. 122
CYNANCHUM. 34. 36. 37. 38
Cynanchum. 35. 38
Daucus. 198
Dens Leonis. 156. 157
Doronicis affinis. 156
Doronici ſpecies. 157
DROSERA. 209. 210
Elichryſum. 177. 213. 214. 215. 216. 218. 219. 220. 224. 225. 227
Elſeboom. 258
Erica. 267. 268
Eriophoros. 224
Eſula. 14
Euonymo affinis. 260. 261
EUONYMUS. *ibid.*
Euonymus. *ibid.*
Eupatoroides. 222. 223
EUPHORBIUM. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20
Euphorbium. 13. 14. 16. 17. 21
Euphraſiae affinis. 114. 138
FABAGO. 4. 5. 6. 7
Fabago. 5. 6. 8
Ficoides. 22. 60. 61. 62. 63. 64
Ficus aizoides. 61
ſeu
Ficus Hottentottorum. 61
Fritillaria craſſa. 29. 30
Frutex. 123. 131. 223. 237. 245. 252. 256. 265. 266. 267
Gale. 262. 263
GERANIUM. 81. 84. 85. 92. 93. 88
Geranium. 84. 85. 92. 93. 88. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96
GERBERA. 155. 157

Gna-

Gnaphaloides. 222
GNAPHALIUM. 188. 213. 214. 215. 216. 217. 218. 219. 220. 222. 223. 224. 225. 226. 227
Gnaphalium. 188. 215. 216. 218. 222. 225. 226. 227
Helichryſum. 214. 215. 216. 218. 221. 223. 224. 225. 226. 227
Helleborus niger. 146
Heyntame. 90
Jacobaea. 158. 164
Jalapoides. 123. 131
Imperatoria Ranunculoides. 147
IXIA. 191
Kebeeb. 43
Laurus. 262
Lentiſcus. 253
LEUCANTHEMUM. 161. 163
Leucanthemum. 161
LEUCOXYLUM. 254. 255
Leucoxylum. 254. 255
Lewiſanus. 263. 268
Lignum ferreum. 234
——— *Colubrinum.* 237
LINARIA. 211
Linaria. 211
LONICERA. 243. 244
Lujula. 65. 68. 70. 72. 81
LYCHNIDEA. 138. 139. 141. 142
Lychnidea. 140. 141
Lychnis. 141. 222
Lychnoides. 141
Lycium. 239. 240. 257
LYCOPERDASTRUM. 22
MELAMPYRUM. 115
MESEMBRYANTHEMUM. 60. 62. 63. 64
Meſembryanthemum. 60
Mezereon. 255
Millefolium. 218
MYRICA. 262. 263
Myrica. 264
Oleae folio frutex. 246
OOSTERDYKIA. 258. 259
OSTEOSPERMUM. 169. 171. 172. 173
Oxali affinis. 76
OXALIS. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 73. 80. 81
Oxys. 65. 66. 67. 68. 70. 71. 72. 73. 80. 81
PADUS. 238
PEDICULARIS. 114
PELARGONIUM. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96
PENTAGONIA. 150
PERFOLIATA. 196
Perfoliato ſimilis. 192
Periclymenum. 244
PHILLYREA. 236. 237
Phillyrea. 237
PINGUICULA. 106
Pini foliis planta. 193
Planta lactaria. 21
——— *foliis carinatis.* 125
POLYGALA. 200. 202. 203. 204
Polygala. 201. 202. 203. 204
Prunifera. 236. 240
PULSATILLA. 148
Pulſatilla. 148
RANUNCULO PLATYCARPOS. 149
Ranunculus. 146. 149
RAPUNCULUS. 109. 111. 112 *quae ſunt* Lobeliae *ſpecies.* 113
Rapunculus. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 110. 111. 112. 113
RAPUNTIUM. 98. 99. 100. 101. 103. 104. 105
Rapuntium. 98. 100. 105. 111
RHAMNUS. 257
Rhaponticoides. 222
RHUS. 251. 252
Rhus. 252. 253
Ricinus. 117. 118. 121
Roode-Elſeboom. 259
Roriſmarini foliis frutex. 112. 252
Rorella. 210
Ros Solis. 209. 210
Sanamunda. 134. 137
Sanamundae affinis. 118
SAXIFRAGA. 212
Saxifragae affinis. 212
SCABIOSA. 199
Scolopendriae facie. 156
Scolymus Chryſanthemus. 151. 153
Sedum. 39. 40. 42. 43. 45. 52. 54. 55. 56. 57. 58
SERRARIA. 264. 265
SIDEROXYLUM. 233. 234. 235
Sideroxylum. 234. 236
Siſyrichium. 191. 192
Slangenhout. 237
Solanum. 4. 5. 6. 8. 170. 243. 244
SOLIDAGO. 164. 165
Spina. 257
STAPELIA. 27. 29. 30
TAGETES. 166
Tagetes. 166
THYMELAEA. 123. 125. 126. 127. 129. 130. 131. 132. 133. 134. 135. 137
Thymelaea. 112. 118. 119. 123. 125. 126. 128. 129. 130. 131. 132. 133. 134. 135. 136. 137. 239
Thymelaeae adfinis. 138 140. 141
Tiru-Calli. 11
Tithymali facie planta. 264
TITHYMALUS. 9. 11
Tithymalus. 9. 10. 11. 15. 16. 17. 18. 21
Trifolium. 67. 80
Tuſſilago. 200
Valerianoides. 3. 128. 129. 130. 131. 133. 134. 136. 140. 190. 193. 221
Violae affinis. 106
XANTHOXYLUM. 256
XERANTHEMUM. 177. 178. 179. 180. 181. 182. 183
Xeranthemum. 177. 178. 179. 180. 181. 182. 183. 215. 222. 223. 225
Yſerboom. 234. 235
Yzacpetali. 23

2vol.